DE PRIORE

PAULI AD CORINTHIOS EPISTULA

TOLOSAE. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

ADVERSARIA CRITICA

DE PRIORE

PAULI AD CORINTHIOS EPISTULA

SCRIPSIT

Henri BOIS

LIC. PHIL., LIC. THEOL.

ERLANGEN

ANDREAS DEICHERT

1887

PROOEMIUM

In illo libello, noli, Candide Lector, eruditionis, quae dicitur, operam quaerere. Namque non solum mihi neutiquam destinatum fuit priorem ad Corinthios epistulam commentario explanare totam, sed de locis ipsis quos enucleare suscepi, cum omnia quae vera justaque in commentariis legissem excerpere, tum omnia quae mihi falsa fuerint visa refellere consulto praetermisi. Si ullo modo fieri posset, nova afferre volui. Locis quibusdam exceptis (et tum lectorem commonere solitus sum), in quibus veteres interpretationes renuntio quia vel oblitae mihi visae sunt, vel illas existimavi novis argumentis confirmari posse, nusquam occurrunt alibi annotationes illae quae in opere meo continentur (quod sciam saltem — etenim non tantum mihi sumo, praesertim cum sint quam plurima exegetica opera, ut omnia novisse credam, quae scripta sint super omnibus hujus epistulae versibus).

Nihil est igitur cur mireris pauca interpretum nomina in hoc opusculo citari. Neque mireris amplius nomen interpretis *Godet* frequentissime inter omnia nomina recursare. — Quod cur ita evenerit, ad intelligendum perfacile : illius theologi commentarium recentissimum est. Ad quod saepius animum reflectere conveniebat. Aut enim ad ceterorum sententiam accedit *Godet*, quem igitur refutans ceteros quo-

que refuto. Aut alios refellit et plerumque ita procedit, ut liceat, in ejusmodi opere, id non repetere, satisque sit, *Godet* refutationibus acceptis, adversus ipsum *Godet* pugnare. — Hoc proprium est operis mei, ut illius scriptoris verba paene nusquam afferam, nisi improbans. Quae quidem tum demum affero, cum aliquid novi, id est aliquid quod ab ejus sententia discrepet, proponere cupiam. Nolim tamen legentes ac *Godet* ipsum ex eo inferre, ut ejus libros contemnam. Sit mihi fas occurrere, quaeso, illi errori, et admirationem aperte profiteri maximam, quam mihi afferunt praestantissima commentaria in quibus *Godet* et scientiae pariter et fidei morem gerere conatus est, in quibus nunquam lepori eruditio nocet, in quibus vis incitatioque orationis semper sententiam firmam ac considerate perpensam praetexunt. Utinam egregius interpres in posterum etiam aliis commentariis theologiam locupletare velit!

Annotationes quae in hac disputatione continentur, in duo genera diffluunt: hae modo epistulam explanant Pauli, optimis cod. definitam, illae vero textum non solum interpretantur, sed emendant.

Sed emendationes illae legentes, ut opinor, nonnullos obstupefacient. Etenim quamvis hodie censoribus operum conjectura licet uti ac reipsa jam usi sint operum apocryph. (cautissime quidem) (1) etiamque canonicorum (2) V. T. interpretes, nulli fere N. T. interpretes illam rationem novam adhuc ingrediuntur. Quorum multi videntur nondum ex animo illam veterem falsamque sententiam evellere potuisse, quae nunc omnino ex interpretatione scriptorum expulsa est Graecorum Latinorumve, nempe in textu nihil

(1) Cf. *Handb. zu den Apokr. des A. T.*, von Fritzsche u. Grimm.

(2) Cf. exempli causa, *Du texte primitif des Psaumes*, par Ch. Bruston. Paris, Meyrueis, 1873.

prorsus admittendum quod in uno saltem codice non reperiatur. Multi sunt etiam qui inanem istam *Lachmann* sententiam tueantur : ille quidem vanum irritumque ducebat archetypum textum recuperare velle, et si quis inter lectiones varias rationibus dijudicaret interioribus et « subjectivis », hoc falsum esse contendebat et auctoritate destitutum, ac moderatius tantum optabat textum quarti saeculi cum in Oriente, tum in Occidente vulgarem restituere.

Hae praejudicatae opiniones, meo judicio, prorsus importunae sunt. Quorum opera textus sacri critica fere uno saeculo critica librorum profanorum anteceditur, ac N. T. interpretum artes iis similes sunt quae philologiae classicae in XVIII saeculo propriae erant, quas autem abhinc illa reliquit. Quorum opera vix pedetentim progreditur critica sacra. Cum interpretibus locus corruptus occurrit, non fatentur quidem corruptum esse locum, sed talem interpretari conantur. Attamen non semper multae sunt interpretationes vitiati loci quem nemo intelligere potest. Quamobrem exegesis inter duas aut quatuor interpretationes pariter falsas versari non desinit : interpretum unusquisque earum accipit unam ac mire nimirum alias demonstrat esse falsas, non intelligit autem justum illius disputationis judicem id solum ex his cum explicationibus, tum refutationibus inferre : omnes T. R. interpretationes absurdas esse. Aut sane vis ingenii celeriter in vacuo vagatur. Impeditis judiciis incredibilia succedunt judicia. Qui ne verbum quidem conjecturalis rationis audire volunt, quia videtur eis libera nimium, non animadvertunt se in illud vitium decidere quod ceteris tribuunt. Accusatores reis sunt nocentiores, quorum explicationes audacia ac libertate omnia quae excogitare posses superant!

Post IV saeculum et in ipso IV saeculo scribae saepissime vehementer errant : quod per illa tria saecula quae

inter composita N. T. scripta et IV saeculum praeterierunt, similes mendas perpetraverunt, nihil habet dubitationis; quod autem errores, ex parte saltem, dignosci corrigique possunt, si quis in critica conjecturali parumper versatus fuerit, nullus dubitabit.

Equidem animum inducere non possum hujus criticae leges exponere. Liceat dicere quomodo tria opera inscribuntur quae saepius cito, ac legentem qui in eo sit ut mea disputatione offendatur vel illam derideat, rogare, ut illa opera legere velit (atque etiam in his operibus indicata opera) (1):

Frider. Jac. Bastii Commentatio palaeographica, — in : *Gregorii Corinthii libri de dialectis linguae graecae*. Edid. *Godofr. Henr. Schaefer*. Lipsiae, 1811.

Studia palaeographica. Scripsit *I. C. Vollgraff.* Lugduni-Batavorum, 1871.

Bibliothèque de l'Ecole pratique des hautes études, 10e fascicule. *Exercices critiques de la conférence de philologie grecque*, recueillis et rédigés par *E. Tournier*.

Equidem non mihi tantum sumo, ut omnes hic a me vel interpretationes vel conjecturas propositas credam demonstratas ac certo certiores, ut aiunt. Cum ubique, tum praesertim in conjecturali critica, oportet fiduciae jungere modestiam. Felix profecto si inter eas aliquae modo et novae et verae invenirentur, si hoc saltem efficerent ut interpretes futuri, cum scripta N. T. interpretarentur, hanc rationem explicandi adhiberent, qua N. T. melius intelligi posset, qua scientia theologica non profanae videretur impar nimium.

(1) Cf. illam longam apud *Tournier* (12e livraison, Préface, p. IV et VI, note) enumerationem.

DE PRIORE

PAULI AD CORINTHIOS EPISTULA

I, 2-3.

V. 2 duo impedimenta praebet :

1. Fieri non potest ut ἡγιασμένοις — Ἰησοῦ inter τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ et τῇ οὔσῃ, ut vult *Godet*, interponas. Potuit, sine dubio, apostolus, cum Ecclesia plures personas comprehenderet, constructione ad sensum utens cum subst. sing. hoc plur. appositum conjungere (*Godet*). Quod enim facit cum post τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ οὔσῃ scribit κλητοῖς ἁγίοις. Minime autem accipiendum Paulum post nomen sing. (τῇ ἐκκλησίᾳ) quod plur. appositum (ἡγιασμένοις) sequi debet, ad singul. (τῇ οὔσῃ) reverti ut dein iterum ad plur. (κλητοῖς ἁγίοις) transeat. — Quandoquidem verba ἡγιασμένοις — Ἰησοῦ locos varios in cod. occupent, putare potes illa per marginem iter fecisse. *Godet* ipse fatetur tautologiam inesse, cum idem valeant ista ac κλητοῖς ἁγίοις. Verisimiliter igitur priusquam in margine adscripta fuissent, verba illa nunquam in textu scripta sunt. Quae tanquam spuria, quaeso, deleas. — Ex illo vero marginali scholio duo nascuntur indicia quibus veram Pauli manum recuperabimus. Primum animadverte ordinem verborum Χριστῷ Ἰησοῦ pro Ἰησοῦ Χριστῷ : quod esset usus frequentior (*Godet*). Equidem dicere posses illum qui scholium scripsit

(aut illum qui in textum scholium inseruit) verborum ordine in v. 1 sollicitatum fuisse. Veri autem hoc non videtur simile, praecipue cum ordo Ἰησ. Χριστ. bis in seq. occurrat. Praeterea hoc animadverte, quaeso : si primum operis exemplar κλητοῖς ἁγίοις praebuisset, nullo modo scholium in margine nasci potuisset. Meo judicio scripserat Paulus : τῇ ἐκκλ. τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορ., κλητοῖς ἁγίοις Χριστοῦ Ἰησοῦ. Quae scribi plane poterant (cf. Act., IX, 13; 2 Thess., I, 10), et verbis v. 1 : κλητὸς ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ plane respondent. Sed nusquam in N. T. reperiuntur. Opportunum igitur visum fuit legenti cuidam in margine haec verba quasi interpretamentum exarare ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, et ordinem Χριστ. Ἰησ. transcripsit quem in verbis explicandis inveniebat. Postquam in textum scholium insertum est, necesse fuit haec verba Χριστοῦ Ἰησοῦ, post κλητοῖς ἁγίοις, ex oculis auferri. — *Godet* mihi forte objiciet se ita v. 2-3 interpretari ut pleonasmum v. ἡγιασμένοις et ἁγίοις tollat ac cum pleonasmo unum meorum argumentorum. Sed quamvis σὺν πᾶσιν τοῖς ἐπικαλ. cum κλητοῖς ἁγίοις jungat, permanet tautologia. « La sainteté des fidèles, » inquit, « est relevée une seconde fois afin d'y rattacher un trait nouveau. » Profecto quidem, sed tamen bis exprimitur, et sententia nova optime cum ἡγιασμένοις conjungi poterat minimeque necessarium erat ἁγίοις addere — aut vice versa. Ceteroquin defendi nullo moto potest *Godet* interpretatio : quod nos ad posteriorem loci difficultatem adducit.

2. *Godet* praeclare illos refellit qui σὺν πᾶσιν τοῖς ἐπικαλ. cum τῇ ἐκκλησίᾳ (*Chrysost.*, *Theodor.*, *Osiand.*, *Reuss*) colligant. Quod cum accipi non potest, tum solum tamen fieri potest in textu praesenti. Etenim si salutationem epistulae nostrae cum salutationibus conferre vis quae simile κῶλον per σύν inceptum (2 Cor., I, 1; Phil., I, 1) continent, certe sentias verba σὺν πᾶσιν ad τῇ ἐκκλησίᾳ esse sine dubio referenda, invito

Godet, aut saltem τοὺς πάντας τοὺς ἐπικαλ. inter eos annumerandos quibus epistula destinatur (1). — Quae res nullo modo possunt enucleari, nisi transponas mecum : τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, κλητοῖς ἁγίοις Χριστοῦ Ἰησοῦ, χάρις ὑμῖν — Ἰησοῦ Χριστοῦ, σὺν πᾶσιν τοῖς ἐπικαλ. — αὐτῶν καὶ ἡμῶν. Interpretandum σύν ita : « Ponitur ubi dici poterat καί » (*Grimm*).

Ultima quae transcripsimus verba (αὐτῶν καὶ ἡμῶν) ostendit perfecte *Godet* ad τόπῳ non posse referri, ut crediderunt falso *de Welte, Osiander, Rückert, Mosheim, Ewald, Meyer, Beet, Edwards*. Illi autem ac *Chrysost.*, *Calvin*, *Olshausen*, qui haec verba ad κυρίου referunt, assentiri nequeo. V. αὐτῶν καὶ ἡμῶν mihi « une reprise plus détaillée » pronominis ἡμῶν videri non possunt. Nam si ita res se haberet, Paulus scripsisset ἡμῶν καὶ αὐτῶν. *Godet* circumscribit : « Notre Seigneur qui l'est non seulement de *vous*, mais aussi de *nous.* » In aprico autem est nullo pacto veram esse interpretationem illam, nisi pron. *vos* (aut potius *illi*) post κυρίου legatur : quod non est. Paulus effatum quod non expressit nec corrigere nec amplificare potest — eo demum consilio ut subjiciat aut addat quibus reipsa non dictis quae contra jam dixit ! — Corrige, sodes : αὐτοῖς καὶ ὑμῖν. « Gratia vobis... inquit Paulus, (vobis) et omnibus qui invocant... (gratia igitur) et iis et vobis. » Quasi summarium est quo claudatur propositio. Nihil mirum est in ordine sententiarum. Imo necessarius fit, nam, cum finem dicendi faceret apostolus, hoc praesertim ostendere contendebat, quod illa christiana vota praecipue ad Corinthios spectarent. Corruptela (ο = ω : *Bast*; ις = ν : *Bast, Tournier*; ι = α = ω : *Bast*) e transpositione orta est.

(1) Quod adeo verum est ut si quis exegesin praetermittens translationem *Godet* legat, persuasum habebit *Godet* σὺν πᾶσιν τοῖς ἐπικαλ. ad τῇ ἐκκλησίᾳ referre.

I, 6.

Nondum explicarunt interpretes καθώς nisi operose admodum et incongrue. Melius consultum erit et contextui et perspicuitati, si v. καθώς sensum temporalem damus quem fortasse in Act. VII, 17, at certe in 2 Macc., I, 31 (1) habet. Nonne vides sensum illum temporalem ab illis ipsis vitari non potuisse qui illum non acciperent? Etenim scripsit *Godet* : « L'aoriste (ἐπλουτίσθητε) se rapporte simplement au moment où eut lieu la dotation spirituelle de l'Eglise, *lorsque* sa foi fut scellée par la communication de l'Esprit. » Vertendum igitur : « in omnibus divites facti estis, cum testimonium Christi fixum et fundatum fuit in vobis. »

I, 7.

Cum verba ἀπεκδεχομένους — Χριστοῦ scriberet, Paulo, ut opinor, Corinthios neque vituperare (*Grotius*, *Rückert*), neque terrere (*Chrysost.*), neque incitare (*Calvin*, *Hofmann*, *Meyer*), neque adhortari (*Reuss*), neque irridere (*Mosheim*) in animo erat, neque illos sibi nimium placentes ad modestiam revocare (*Godet*). Significatio enim totius v. 4-8 periodi abunde indicatur verbo εὐχαριστῶ quo incipitur, et ad quod referendum est membrum ἀπεκδεχομένους — Χριστοῦ, non secus ac membra quae ante sunt et cum ἀπεκδεχ. — Χριστ. arcte conjunguntur. Gratias agit Paulus quod Corinthii parousiam exspectant. Gratias agit quod in praesenti tanquam christiani sunt quibus nullum charisma deest, etiamque gratias agit

(1) « Der Gebrauch von καθώς statt des temporellen ὡς ist hier völlig entschieden. » (*Kurzgefasst. exegel. Handbuch zu den Apokr.*, von Fritzsche u. Grimm, ad loc.)

quod in hac conditione versantur sicut christiani Domini reditum exspectantes (1) (Cf. Matth. XXIV, 42 et seq., et γρηγορεῖτε in 1 Cor., XVI, 13).

I, 8.

Mihi in mentem venire non potest quo pacto Paulus in h. v. verba τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ iterum dicere vel potuisset vel debuisset quae jam in v. 7 syllabatim leguntur. Manifestum est, ni fallor, in ὅς non Χριστός, sicut in praesenti textu, sed Θεός latere debere. Ceteroquin v. 9 conclusione aegre caret, nec quisquam facile reperietur qui videre possit cur scriptus fuerit. Recordare quaeso 1 Thess., V, 24 : πιστὸς ὁ καλῶν ὑμᾶς, ὃς καὶ ποιήσει ac mecum transpone... τὴν ἀποκάλυψιν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Πιστὸς ὁ Θεὸς, δι' οὗ ἐκλήθητε εἰς κοινωνίαν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ [Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν], ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς — Χριστοῦ.

Nempe fidelis est Deus qui non solum vos vocavit, sed etiam vos confirmabit...

Fieri potest ut verba quae in uncinis inclusi, delenda sint tanquam dittographiae.

I, 14-15.

Parum placet interpretatio, quam solent commentatores de his v. afferre. Miratur *Reuss* « que Paul ait eu besoin d'une pareille argumentation et de cette emphase rhétorique pour la faire valoir (je rends grâce à Dieu etc...) » Miratur similiter et *Godet*. Non video autem quid lucremur illa ejus explanatione : « Cette idée (d'un baptême administré en un autre nom que celui de Jésus), qui aujourd'hui nous paraît

(1) ἀπεκδέχομαι = assidue et patienter exspecto. (*Grimm.*)

absurde, pouvait sembler plus admissible dans les premiers temps de l'Eglise, surtout en Grèce... L'apôtre des Gentils passait sans doute, aux yeux d'un grand nombre, pour le vrai fondateur de la religion qu'il propageait; et la supposition qu'il combat ici pouvait avoir ainsi un certain degré de ressemblance (1). » Miram quidem de Corinthiis *christianis Godet* cogitationem habet. *Christianos* enim inter Corinthios Paulus compellat. Quomodo non senserunt h. l. modo ad absurdum reductionem, quae dicitur, cum irrisione esse : « Ergo in partes dividimini, insani? num forte Christus divisus est? (prima haec est stultitia quae dialectice e vestra agendi ratione nascitur vosque redarguit). Paulusne pro vobis crucifixus est, an in nomine Pauli baptizati estis? (secunda ac tertia ejusdem farinae insulsitas.) » Pergit quidem Paulus, ironice semper : « Gaudeo sane quod neminem vestrum baptizavi! Quod si fecissem, quidam ita insanus inter vos nimirum fuisset, ut vos — o dementia! — in meo nomine baptizatos fuisse induceret animum! » Illa sententia neque illo tempore magis quam hodie accipi poterat, neque minus Corinthiis quam nobis videbatur stolida. E v. 13 illud jamdudum concludere debebant interpretes, nisi forte existimarent Corinthii Paulum pro illis crucifixum fuisse? In explicatione mea nihil est cur mireris v. εὐχαριστῶ in v. 14 usurpatum fuisse. Non nugas, sed ironiam moestam atque indignatam in h. v. deprehendimus. Ceterum praesens εὐχαριστῶ non utique indicat Paulum revera Deo gratias agere. Indicat forte modo consilium (Cf. XVI, 5; XV, 1; XII, 31). Hic praesens tempus invenimus a grammaticis « de conatu (2) » nuncupatum, quod saepe nisum, inceptum cujus

(1) Typographica menda videlicet; lege : *vraisemblance*.

(2) *Règles fondamentales de la Syntaxe grecque*, par M. Seyffert et A. von Bamberg, trad. par Cucuel, rev. par Riemann. — Klincksieck.

inceptum cujus nullus exitus erit indicat, saepe quidem con-ad effectum adducta (1).

I, 17-III, 9.

Adversus interpretationem quam plerique commentatores de II, 6 sq. proponunt multa dici possunt. Vix admittendum institutionem in his v. descriptam aliam institutionem esse atque illam de qua jam sermo *fuit* (I, 17-II, 5).

Godet auctore, « Paul annonce une sagesse parmi les parfaits. » At quae sapientia? Num humana? Minime. Num divina? Ita est, sed de illa divina sapientia maxime jam sermo fuit. Quam a Paulo traditam sapientiam versus II, 6 designat? Hoc accurate indicat Paulus (II, 7), σοφία Θεοῦ est. Quid est autem σοφία Θεοῦ? Jam dixit Paulus (I, 24, 25, 30) : nihil aliud est quam Christus crucifixus — id est idem quod Corinthiis praedicavit (II, 2 ; III, 10-11) (2). Fieri non potest ut verba σοφία Θεοῦ in v. 7 alium praebeant sensum praeter illum quem hactenus habuerunt. Namque prorsus nihil in textu mutari eorum vim ostendit, omnia contra probant de eadem Dei sapientia agi. Praedicatio semper una, semper eadem aliis est sapientia, aliis stultitia (Cf. I, 21-23 et II, 14-15), ac animadverte omnino pares esse atque unas illas institutiones quas discernere volunt (I, 23-24 et II, 6-7 ; — II, 4 et II, 13). Cum illas duas distinctas, ut aiunt, institutiones conferre aggrederis, similitudinem modo, nusquam autem discrepantiam deprehendis.

Si v. II, 6 seq., cum aliis Pauli declarationibus conferre velis, confer, παραδείγματος ἕνεκα, verba v. 7 cum Rom., XVI,

(1) Gramm. von Winer.

(2) Annota verba v. 10 : « ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων. » Ergo Paulus velut *sapiens* institutionem dedit cui *sapientiae* nomen recusatur !

25-26; Eph., I, 3-14 (Cf. praesertim I Cor., I, 30 cum Eph., I, 8). Num *Godet* Col., II, 3, citare cupit : ... Χριστοῦ, ἐν ᾧ εἰσὶν πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ γνώσεως ἀπόκρυφοι? Urget autem ille locus *Godet*. Si tota sapientia in Christo continetur, si Paulus Corinthiis Christum praedicavit (I, 23-24; II, 2; III, 10-11), Paulus ergo Corinthiis sapientiam praedicavit totam. Si Paulus Christum Corinthiis praedicavit imprimis crucifixum, attamen Christum illis praedicavit totum (I, 24) : ipse *Godet* notat ἐσταυρωμένον post Χριστόν in h. v. non repeti. Ceteroquin finis cap. Coloss. I. *Godet* opinioni contradicit. Citemus modo verba v. 28 : (Χριστὸς) ὃν ἡμεῖς καταγγέλλομεν νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ. Is versus agendi quoque contradicit rationi, quam versus III, 1, ut explicari solet, Paulo tribuit : Paulus Corinthiis, quia νήπιοι, solum primam ac simplicem institutionem dedisset. At locus in Coloss. indicat a Paulo totam *sapientiam* τοὺς νηπίους, quia νήπιοι sunt, doceri, ut τέλειοι fiant!

Godet fatetur inter locum in I Cor. agitatum et Hebr. V, 12 sq. quoddam interesse discrimen. Si communem horum v. interpretationem acciperemus ac duas ibi Christianas institutiones videremus, notaremus primum epistulam ad Hebr., cum a Paulo ipso scripta non sit, ad sententiam ejus definiendam prodesse non posse. Praeterea, si scriptor epist. ad Hebr. duo institutionum genera discernat, haec duo genera ambo ad Christum pertinent. Paulus autem Christum Corinthiis praedicavit, Christum illum qui factus est nobis *sapientia* a Deo et justitia et sanctificatio et redemptio (I, 30). Ex quo profecto non conficitur Paulum Corinthiis quoque posteriorem doctrinam aperuisse elatiorem de qua epist. ad Hebr. loquitur, sed conficitur tamen contrarium non probari. Accedit illud quod scriptor epist. ad Hebr. nusquam dicit ex his institutionibus unam *sapientiae*

nomine esse dignam, indignam autem alteram. — Attamen si attente consideras quam communia atque indefinita sint verba μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, πίστεως ἐπὶ Θεόν (et non Χριστόν), βαπτισμῶν διδαχῆς, ἐπιθέσεως χειρῶν, ἀναστάσεως νεκρῶν, κρίματος αἰωνίου (Hebr., VI, 2), his quidem verbis inter se comparatis τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ (V, 12), ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης (V, 13), τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον (VI, 1), suspicaris institutionem priorem simplicemque nihil proprie Christiani habuisse, ac forte inter institutionem hanc (γάλα) atque christianam (στερεὰ τροφή) simile discrimen interesse quam inter Johannis Baptistae atque Christi institutiones (1). — Utcumque res sit, Paulo profecto licet aliud dicere ac scriptor epist. ad Hebraeos neque tamen contra illum dicere. Figurae γάλα et βρῶμα usurpari in dissimilibus significationibus ab illis possunt; nam apud Judaeos τῆς διασπορᾶς communes figurae erant, apudque Philonem inveniuntur. Distinguere non duo quidem institutionum genera, sed unam eamdemque institutionem variis modis versatam, modo magis, modo minus perspectam et absolutam, nihil falsi nec periculosi habet. Hanc sententiam, ut opinor, Paulus non rejecisset, sed persuasissimum mihi est illam in nostro l. non exprimi, quandoquidem, ut illam hic deprehendas, cogaris ad exegesin confugere quae Paulum pugnantia verba loquentem et discrepantia faciat.

Meyer et *Godet* permagni faciunt praepos. ἐν (II, 6). Sed illud ἐν, in quo fortasse demum dittographia duarum ultimarum vocis λαλοῦμεν litterarum latet, sine dubio significare potest *pro*, *apud* (« pour, aux yeux de, au jugement de ») (*Godet*) (2). Quod si illi ἐν localis sensus datur, datur

(1) Cf. verba βαπτισμῶν διδαχῆς (VI, 2) cum Matth., III, 11 ac locis parall.

(2) Cf. IX, 15; XIV, 11. — Cf. et 2 Cor., IV, 2-3 : « ..... συνιστάντες

quoque Paulo nova contradictio. Paulus contendit se suam philosophiam (sic *Reuss*) modo « au milieu de croyants affermis, de chrétiens mûris » (sic *Godet* de II, 6) praedicare. Attamen perspicue animadvertis e v. 14 illum non modo apud τοὺς σαρκίνους καὶ (ἢ) σαρκικοὺς, sed etiam apud τοὺς ψυχικοὺς praedicare philosopham illam. Nisi enim coram iis eam praedicaret, qua ratione diceret illos eam non accipere, sed stultam habere, neque intelligere eam posse quia non spiritales essent? Conditionalis adhibendus fuisset, ac dicendum, modo Paulus curaret ut futuro commentatori *Godet* assentiretur : « Apto spiritalem doctrinam auditoribus spiritalibus. *Nam* ὁ ψυχικὸς ἄνθρωπος non *acciperet*... stultitia enim *esset*... non *posset* cognoscere... » At indicat. *praes.* talem nusquam vim habet.

Num *Godet* placet in discrepantiam verborum λαλεῖν et κηρύσσειν se convertere, ex qua λαλεῖν sermones designaret, non praedicationes (V. I, p. 123)? At in posteriore vol. (p. 315-322), operam dedit *Godet* ut se ipsum confutaret; nam merito fatetur λαλεῖν a Paulo usurpari, ut glossolaliam, prophetiam, publicam in ecclesia professionem designet. Ceteroquin, si quando opus esset, versus III, 1 *Godet* refelleret : « Non potui, dicit Paulus, vobis loqui quasi spiritualibus, sed vobis loqui tantum potui quasi carnalibus : ἠδυνήθην λαλῆσαι, ἐλάλησα ὑμῖν ὡς σαρκίνοις. » Ergo vox λαλῶ ad sermones Pauli alios pertinet atque illos qui ejus arcanam professionem constituerent; ad sermones pertinet quos cum Corinthiis Paulus habuit ut Ecclesia Corinthi conderetur, et ex quo condita fuit, pertinet ergo ad praedicationes ipsas. Dici potest genus esse λαλεῖν cujus κηρύσσειν (aut καταγγέλλειν) species est. Quidquid κηρύσσειν est, λαλεῖν est etiam. At quidquid

ἑαυτοὺς πρὸς πᾶσαν συνείδησιν..... εἰ δὲ καὶ ἔστιν κεκαλυμμένον τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν, ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις ἐστὶν κεκαλυμμένον. »

λαλεῖν est, non ipso facto κηρύσσειν. Ex quo *a priori* conficitur usu v. λαλεῖν nihil demonstrari, quandoquidem hoc verbum tam bene ad praedicationes quam ad omnes sermones spectare possit. Cum in v. λαλεῖν *Godet* nititur ut demonstret quales sint sermones de quibus agitur, in eo nititur quod demonstrandum est, ac *petitionem a principiis*, quae dicitur, manifeste admittit.

Conemur igitur ostendere quae sit perpetuitas et constantia sententiarum in his v. quos hic et nunc circumspectamus (1) :

In I, 12 sectarum Paulus mentionem facit; in III, 4 commemorat eas iterum, minus plene quidem, sed iisdem verbis : omnia quae inter hos duo v. comprehendentur, explicanda erunt his v. adjuvantibus. Contra sectas depugnare Paulo destinatum est. In tota I, 12-III, 4 explicatione de se Paulo unice loquitur (περὶ Ἀπολλῶ modo in III, 5 verbum facere incipit), ac fautores suos aeque ac adversarios compellat. Etenim si fautores peccant qui Paulo partes et dignitatem tribuunt non decentes, adversarii pariter vituperandi qui in similem ac contrariam culpam incidunt, ac praeterea, ut jure annotat *Godet*, propria mali causa erant, quandoquidem modo ad resistendum contra illos secta Pauli constitui potuit.

(1) Inutile prorsus non erit obiter significationem oppositionum praecise definire in quibus involvuntur mens verbumque Pauli. Opponuntur sine dubio πνευματικός et ψυχικός. Ὁ ψυχικός est non-christianus. Ὁ πνευματικός christianus perfectus est. Voces τέλειος et πνευματικός idem significant, ut ostendit comparatio III, 1 et II, 6. Inter haec contraria πνευματικός (τέλειος) et ψυχικός jacet ὁ νήπιος, qui quasi medius intervenit. Opponitur manifeste τῷ τελείῳ, sed opponitur etiam τῷ ψυχικῷ, cum ὁ νήπιος ἐν Χριστῷ sit revera, ἐν Χριστῷ autem nequaquam sit ὁ ψυχικός. — Si σάρκινος et σαρκικός idem valent ac voces ψυχικός aut νήπιος, parum hic refert nec judicare suscipiam.

Hunc ordinem Pauli ratiocinatio tenet :

I pars, fautoribus destinata. — Paulus illos reprehendit qui ei dignitatem nimiam conferunt atque confutat ad absurdum reductione, quae dicitur, utens (13-15).

II pars, adversariis destinata. — Illis qui ejus professionem vituperant et aegre ferunt eam sapientiorem non esse, declarat :

1. Evangelium quod sapientia Dei est, homini est stultitia, ac sapientia hominis Deo stultitia. Quamobrem ipse, Paulus, Evangelii fidelis praedicator, Evangelium praedicavit, hominum sapientiam pro nihilo ducens (I, 17-II, 5).

2. Sed hoc ei objici posset : nonne ipse tuam minuisti asseverationem (I, 18, 24, 30), ex qua Evangelium homini stultitia est? nonne dixisti Evangelium modo pereuntibus stultitiam esse, atque Evangelium Dei sapientiam credentibus quoque fieri sapientiam? Credentes sunt Corinthii christiani. Non apostolicae vocationi neque Evangelio infidelis fuisset Paulus, si — quod debuisset modo potuisset — sapientiam magis exquisitam ac subtilem edocuisset. — Quapropter nunc posteriorem oppositionem resumit Paulus ut explicet praecise ac describat. In eo commoratus est quod Evangelium Deo (aut Dei) sapientia est, stultitia homini (I, 17-II, 5). In illo nunc commoratur quod Evangelium credentibus sapientia, carnalibus stultitia est (II, 6-16). In v. III, 1, qui hanc explicationem consequitur, exprobratio cui respondere suscipit non eadem est atque illa cui jam respondit (II, 1, 4-5). De sapientia humana non jam agitur, sed de divina, christiana. Nec queruntur Corinthii Paulum humanam sapientiam contempsisse, sed illos non habuisse tamquam τελείους ἐν Χριστῷ.

Illa, ut opinor, ratione sententiae inter se excipiunt. *Godet* mihi videtur parum animadvertisse quo modo v. II, 1, cum v. I, 17-31, conjungatur. Τὸ κἀγώ minime valet :

« Ego quoque, sicut Evangelium ipsum », quod tam admirabile est quam illa *De Wette* interpretatio : « Ego quoque, sicut ceteri apostoli. » Num Evangelium, num ceteri apostoli Corinthum se contulerunt (κἀγὼ ἐλθών ... ἦλθον)? Vox κἀγώ « *ego quoque* » non utique significat. Nam (vid. *Grimm*) in illo de quo agitur loco « *et equidem*, » id est ut de me ipso loquar, significare potest aut (sic *Grimm* in Rom., III, 7) *idem ego* (eben ich, gerade ich) : Vertendum tum erit : « ideo praecise ego..., » non : « ego quoque, » sed : « Quare, ego. » V. II, 1-5 iterant modo et interpretantur v. I, 17 : Οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, et in II, 5 eadem inter hinc potentiam, illinc sapientiam aut stultitiam (pro infirmitate) oppositio continetur quae in I, 18 reperitur.

Non vidit etiam *Godet* quo vinculo v. II, 6, et illa quae supra sunt colligantur. « Par cette dernière parole (II, 5), » inquit, « nous sommes ramenés au point de départ de tout ce passage, I, 18 : l'Evangile n'est pas une sagesse, mais une puissance; pas une philosophie, mais un salut. » Vehementer errat. Evangelium profecto philosophia (1) non est, sed sapientia : quod Paulus satis et dixit et iteravit (I, 24, 25, 30). « Quelques-unes des expressions de Paul pouvaient faire supposer que la sagesse était bannie du domaine de l'Evangile. » Quaenam verba? Equidem minime video. « Or ce n'était point là ce que l'Apôtre avait voulu dire. » Ita sane, sed neutiquam dixit. « Et c'est ce malen-

(1) Haec verba (II, 6), *Reuss* perperam interpretatus est : « Quant à la philosophie, je la prêche aux hommes mûrs. » Num cogitatione tibi depingis Paulum philosophiae scholas habentem ?? Denique num putas Paulum, si apud Corinthios nihil aliud quam Christum et Christum crucifixum (II, 2) scire voluerit, alibi, inter τοὺς τελείους nimirum, aliud scire voluisse? Quid est autem illud « aliud » quod extra Christum ponitur ? Aliquid christiani? Minime! — neque igitur pauliniani!

tendu possible » — quae ambiguitas a *Godet* solo fingitur — « c'est ce malentendu possible qu'il écarte dans le passage suivant où il montre que, si l'Evangile n'est pas essentiellement sagesse, il n'en *renferme* pas moins une sagesse, et même la vraie, supérieure à tout ce que l'intelligence humaine eût pu découvrir. » Rursus ac plane errat *Godet.* Auctore Paulo, Evangelium non sapientiam *continet*, sed ipsum sapientia *est* et quidem « *essentiellement* » ut *Godet* verbo utar.

Redeamus denuo ad locum II, 6-III, 1, et significationem absolute confirmemus :

Evangelium quod Paulus praedicat, sapientia est, non humana, sed divina. Illud est Evangelium perfectis, qui nullam poscunt sapientiam, nisi Christum et Christum crucifixum. In quo sapientiam summam inveniunt positam, nec aliquid amplius desiderant. Sed ubi primum carnalibus Christus praedicatur, illam praedicationem stolidam existimant, quippe qui non ii sint qui illud Evangelium intelligant atque in eo summam sapientiam deprehendant. (Vides plane eamdem praedicationem cum perfectis, tum carnalibus destinari). Soli illam spirituales capiunt, illorumque excellentiam Paulus pronuntiat et simul suam supremam auctoritatem affirmat : « Sensum Christi habemus. »

Quaenam igitur conclusio erit? Si praedicatio Pauli sapientia perfectis est, si nolunt in illa Corinthii sapientiam agnoscere, necesse est Corinthios non esse perfectos. Si Corinthii censent Pauli professionem non satis *sapientem* esse, non illa professio est accusanda quae hoc est quod esse debet, quae non aliud esse potest, sed accusandi Corinthii qui illam (nam nimium carnales sunt) intelligere nequeunt. Quae v. III, 1, apte interpretatus, revera expromit :

Godet sensit κἀγώ nescio quid miri inesse. Quod plane verum est in communi v. III, 1 interpretatione, et quod

Godet emendare nequicquam tentavit. Cum tota rerum serie, illisque quae supra sunt (II, 16), arctissime conjunctus erit hic versus, sed sic explicetur : « Et ego (ego qui spiritualis sum, qui sensum Christi habeo) (1), ego non potuissem (2) (vobis judicibus, ut inter vos dicitur) vobis tanquam spiritualibus loqui, sed potuissem vobis modo ut carnalibus, ut pueris in Christo loqui? Ego vobis lac bibere dederim, non cibum — hanc interponens causam vos nondum aliter nutriri posse (3), » quo pacto me, vos accusando, excusaverim (cf. oppositionem inter οὐκ ἠδυνήθην — οὔπω ἐδύνασθε), at nunc, cum illa causa decere desierit, venire recusarem (IV, 18) (4). Illi quam Paulus (sicut aliam, 2 Cor., XII, 16) effingit accusationi, duo responsa reddere poterat :

1. Quod vobis praedico non est γάλα, sed βρῶμα. Vobis locutus sum ut spiritualis spiritualiter spiritualia spiritualibus dicens. — Quod autem hic non dicit, quia jam in II, 6-16 dixit.

2. Non ego vestram praestantiam non consequor, vos contra meam non consequimini. — Quod ironice in III, 2-3 respondet : « Insani profecto, sed ne hodie quidem ii estis qui aliter quam pueri habeamini ! Licet Dei sapientia sapientia sit, licet vobis praedicetur, ex parte modo, cum ex parte

(1) Cf. VII, 40, ubi tamen κἀγώ aliam significationem usurpat.

(2) « Nonnunquam (ut apud Graecos, potissimum inferioris aetatis) ἄν omittitur » (Grimm, de voce ἄν).

(3) « Nam (dixerim aut significaverim), nondum poteratis. »

(4) Ad hunc modum explicandus hic v. quem cave ne vertas, ut plerique solent : « *quasi* non venturus sim. » Verte potius : « *quia* non venio. » Eodem tempore nascuntur actio praesenti indicata participio et illa quam principale verbum indicat. — Videte, inquiebant nonnulli Corinthii, non jam venit ! Sensit enim suam professionem jam nobis satisfacere non posse, spiritualibus spiritualia expostulantibus. Timet ne non consequatur praestantiam nostram.

ψυχικοί sitis, eam accipere potestis, imperfecte modo illam intelligere ac carpere. Vos non jam pueros esse putatis, dictitatis vos escam velle. Fingamus — quod non est — praedicationem meam escam non esse. Num forte existimatis eos vos esse qui nutrimentum feratis quod expostuletis? num existimatis vos jam non carnales esse? » (v. 2-4).

Et Paulus Apollo in disputationem adhibens transit ad *III partem*, simul fautoribus et adversariis destinatam. — Priores vituperavit. Posterioribus qui professionem ejus tanquam parum sapientem arguerent, respondit : de qua sapientia verbum facitis? Num de humana? nihil autem cum illa commune Evangelium habet (I, 7-II, 5). Num de divina? Sed talia respicienti nihil in mea professione requiritur (II, 6-III). — Igitur cum illos qui ei nimis, tum illis qui ei minus auctoritatis ac dignitatis tribuebant refellit. Nunc veritatem indicabit, et ostendet quanti aestimandi sint et ipse et Apollos : illud valet τὸ τί οὖν v. 5 (X, 5-IV, 1).

Admirationem movet quidem Pauli dialectica solertia, et artificiosa rerum dispositio.

In v. 10 sq. Paulus expresse pronuntiat professionem suam ceteris professionibus praestare — non suam quidem « philosophiam, » sed institutionem Corinthiis traditam. Sapientia (v. 10) (1) vocatur institutio illa, eaque est ut ceteris cum praesentibus, tum futuris institutionibus norma habeatur. Quaevis institutio, nisi in institutione Pauli nita-

(1) Cogitur *Godet* illius v. explicationem quaerere quam confutare necessarium non est : « Sa sagesse, comme fondateur, a été de ne pas faire de sagesse. » Acute videlicet ea colligit *Godet*, ex apostoli verbis, quae adversus illa verba depugnant. Ceteroquin, ut ex eo cernitur quod legentem ad II, 1-5, et III, 1-4, rejicit, confudit *Godet* duas vocis σοφία significationes, quas solas hoc vocabulum in I-III habet, et illas oportet accurate discerni : *sapientia humana*, *sapientia divina* aut *christiana*.

tur, comburetur ac pro nihilo ducetur. Itaque merito Paulus declarat suam professionem perfectis esse *sapientiam*. Et, ut iterum dicam, ipse contra se diceret, si alibi quam Corinthi scire aliquid aliud vellet quam Christum et Christum crucifixum (II, 2).

Novas etiam contradictiones munifice Paulo *Godet* largitur. *Godet* auctore, scivit Paulus Corinthi « se borner à rendre témoignage au fait du salut, en se gardant d'entrer avant le temps dans le domaine de la spéculation chrétienne. » In v. III, 1-3 asseverat Paulus se ita egisse, quia Corinthii doctrinae impares essent elatiori, qui nunc etiam, inquit apostolus, ignari sunt et imperiti. Ergo nondum tempus instat « d'entrer dans le domaine de la spéculation chrétienne! » — Imo vero, auctore *Godet* (p. 122), nihil antiquius Paulus habet quam in istud latifundium ingredi, nam locus cap. XV eschatologicus « appartient à cette sagesse que Paul se réservait d'exposer aux hommes faits en Christ. » Aut non oportebat contendere Paulum se suam « philosophiam » modo apud perfectos exponere, quippe qui illam Corinthiis exponeret, aut a se ipso discessit cum declaravit Corinthios perfectos non esse. Utique Paulum quemdam *Godet* effingit, non optime quae dicit intelligentem.

V. IV, 17 rursus *Godet* de I-III interpretationem redarguit. In hoc v. dicitur Timotheo mandatum esse, in Corinthiorum memoriam redigere vias Pauli, quae sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia docet. Ex quo conficitur Paulum semper ubique in omnibus ecclesiis eodem modo docere, ejusque professionem Corinthi omnino fuisse parem doctrinae alibi datae. Hoc sine dubio jam audierant Corinthii, si Timotheus in illorum memoriam redigere debet. *Godet* sensum v. διδάσκω circumscribere cupit « à l'enseignement pratique de l'Apôtre (comme il est résumé Rom. XII-XIV), à la vraie méthode de vie chrétienne, etc... »

V. τὰς ὁδούς μου vivendi rationem apostoli designare, concedere possim. Mea autem sententia v. διδάσκω non angustius valet, latius contra patet et communius. *Godet* judice, v. πανταχοῦ et ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ pleonasmum efficere videntur. Ex industria autem factus est pleonasmus. Paulus *Godet* opinionem in antecessum confutat, ac in eo commoratur quod ejus professio ubique ac semper eadem sit. Quam cum carnales Corinthii imperfecte intellexerint, necesse est ut eam illis commemoret. — Quod ad illam, quam jactat *Godet*, vitae cum doctrina congruentiam pertinet, quam in exemplum proponeret ac quae v. καθώς indicaretur, ficta ac praepostera in contextu videtur. Timotheo non praeceptum erat Corinthiis dicere : « Estote ut Paulus (v 16). Vitam secundum doctrinam vestram dirigite. » Nam Corinthiorum doctrinam non minus opus erat emendare quam vitam. Ceterum *Godet* suspicari non videtur se propugnatorem fieri doctrinarum rationalistorum. Ut καθὼς διδάσκω vocibus τὰς ὁδούς explicet (1), duas partes in Pauli professione distinguit : unam, quae de moribus et de vita est, cui rationem vivendi accommodare semper debemus (Rom. XII), alteram autem speculativam, metaphyscam ut aiunt, quae vitae nullius est momenti.

Vers III, 16-IV, 6 quasi summarium continent disputationis de sectis.

Vers 16-17 τὸ μεμέρισται ὁ Χριστός (I, 13) recipiunt. — De horum duorum l. significatione vide quae super XII, 12 dicimus.

Vers 18-20 includunt novam sapientiae humanae condemnationem.

(1) Nonne melius sit τὰς ὁδούς μου vocibus καθὼς διδάσκω interpretari — id est obscuriora clarioribus assequi ? Cf. *Meyer* et exempla quae affert.

Vers 20-IV, 1 illis destinantur qui nimium aestimant illos qui principem in sectis locum obtinent.

IV, 1 conditionem illorum principum ac dignitatem describit.

IV, 2-4 illis destinatur qui principes vituperant, judicant. Ibi Paulus primam personam adhibet.

IV, 5 cum fautoribus, tum adversariis destinatur, quippe qui in aequum errorem paremque culpam incidant (unusquisque principis cujusdam fautor simul est etiam ceterorum principum adversarius).

E IV, 6 Paulus superbiam et arrogantiam castigat quae omnium harum partium contentionum quasi radices absconditae erant. Se Corinthiis ironice comparat. Dein, benignum recipiens sermonem, illos hortatur ad se cum in vita, tum in doctrina imitandum : quas Timotheus illis commemorabit. — Minus mihi displiceret *Godet* assentiri dicenti Timotheum fuisse missum ut Corinthiis diceret : « Doctrinae vitam accommodate, ut Paulus, » si *Godet* vellet Timotheum, priusquam ita loqueretur, sic loqui : « Mementote Pauli doctrinae, curate ut eam melius intelligatis, desinite illam mancam atque inchoatam ducere, atque ad saniores sententias redite. »

VI, 2 gravem *Godet* exprimit confessionem : « Par cette formule : *Ne savez-vous pas*, qui revient jusqu'à dix fois dans notre épître, l'Apôtre fait allusion aux enseignements qu'il avait donnés à l'Eglise à l'époque de sa fondation. Elle s'applique ici à un point très spécial de l'eschatologie chrétienne, et l'on peut conclure de cet exemple combien était détaillée l'instruction que les Eglises recevaient de l'Apôtre. » Quibus concessis, difficile videtur *Godet* suam distinctionem tueri posse inter professionem primam simplicemque Corinthi jam datam, et speculativas professio-

nes, superiores, raras, quarum loci cap. XV eschatologici quasi specimen forent.

I, 21-24.

Verba ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ omissa esse mallem, tanquam dittographiam verborum διὰ τῆς σοφίας τὸν Θεόν. Primum in his cap. (I-III) verba σοφία Θεοῦ eumdem semper sensum praebent : evangelium, praedicationem crucis ubique designant, nusquam autem Dei in creatione revelationem. Quin etiam verba ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ impediunt intricantque periodum, quae, cur adeo summam *Godet* admirationem moveat, non capere fateor et quam procul dubio, hoc pace *Godet* dicam, Plato minime scripsisset. Quibus omissis contra, recte omnia se habent. Tum oratio fit expedita, tum perspicua ac cohaerens argumentatio. Paulus prophetarum dicta commemorat, quibus nuntiata fuit sapientiae mundi eversio. Clamat : « Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Profecto quidem, nam cum mundus sua sapientia non assecutus sit ut Deum cognosceret, Deo placuit per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. » Itaque verba ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ supervacua sunt et absona. Quae tueri ea demum lege possis, ut in illis operose sententiam expressam videas, quae orationi aliena est, nedum contextu postuletur. Qua omissione quam proposui perpetrata, oppositio duorum membrorum v. 21 perfecta efficitur :

ὁ κόσμος.	ὁ Θεός
οὐκ ἔγνω.	εὐδόκησεν σῶσαι
διὰ τῆς σοφίας.	διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγμ.
τὸν Θεόν.	τοὺς πιστεύοντας.

Illa inter ὁ κόσμος et τὸν Θεόν oppositio quae continetur in prodosi, in apodosi quoque occurrit, sed prorsus contraria (ὁ Θεός — τοὺς πιστεύοντας). Verumtamen, nunc κόσμος Paulus dicit, quia homines omnes peccatores sunt ac redemptionis indigent, nunc τοὺς πιστεύοντας, quia illi soli salvi fient qui credent — quo non excluditur, sed in quo non necessario continetur omnium hominum salus.

Recte *Meyer* et *Kling* novam cum v. ἐπειδή in v. 22 periodum incipiunt : apodosis in v. 23 reperitur : ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν. Cui interpretationi asyndeton inter v. 21 et 22 non objectandum. At illa verborum compositio quaesita est nimium, ex qua v. 21-24 una tantum forent periodus, verbo ἐπειδή conjuncta. Adversus *Meyer* et *Kling*, *Godet* « la simple logique » obtestatur quae profecto adversus *Godet* ipsum loquitur. « L'idée du v. 22, que Grecs et Juifs demandent sagesse et miracles, ne saurait motiver celle du v. 23 : que la prédication leur présente un Christ qui est pour eux scandale et folie. » Mira quidem annotatio. Quare logica vetaret Paulus hoc in v. 22-23 agere quod jam in v. 19-21 egerit? V. 22 respondet v. 21ᵃ et 23 respondet 21ᵇ (1). « Le but de Dieu, dans ce mode de prédication, » pergit *Godet*, « n'a pu être de révolter les auditeurs. » At ea quibus offenditur *Godet*, non in v. 22-23 a nobis interpretatis reperiuntur, sed in v. 20 (ἐμώρανεν) et 21 (ἐπειδὴ... εὐδόκησεν) a *Godet* ipso interpretatis. Quod si in v. 20-21 non offenditur, cur offenderetur in v. 22-23? Quod ad v. 24 attinet, non video quomodo ibi Paulus « ajoute expressément la pensée opposée » sc. oppositam illi quam in v. 22-23 deprehendo. Si Paulus in v. 24 contra meam v. 22-23 explicationem dicit, dicit quoque ibidem contra explicationem quam *Godet* de v. 20-21 propo-

(1) Mirum dictu! *Godet* ipse istud consignat (p. 96). Quare igitur suam interpretationem non sprevit?

nit. Sed nihil nullique Paulus contradicit. Oppositio non est contradictio, Paulusque modo novam oppositionem indicat quam posterius explicabit et quae ad priorem accedit non delendam, sed complendam.

I, 30.

Recte quidem *Osiander* affirmavit verba δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις quasi amplificatam interpretationem esse notionis δύναμις notioni σοφία (v. 24, cf. v. 18) supra conjunctae. Unde autem variae lectiones δικαιοσύνη τε, in codd. alex. et byz., et καὶ δικαιοσύνη, in codd. graec. lat. repertae, natae sint, non explanat. Sine dubio scribendum est: ... ἀπὸ Θεοῦ καὶ δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς κτλ. Non omnino obsoletus est illius particulae τε usus : exempla confer quae a *Passow* in lexic. de Xenophonte prodita sunt. Sed adeo tamen usus ille rarus est, ut facile intelligas librariis illum, tanquam pleonasmum, suspicionem dedisse, qui alii καὶ delentes et alii τέ, huic vitio mederi duxerunt : quamobrem hodie duo lectionum genera in libris reperiuntur.

II, 4.

Si verba ἐν πειθοῖς σοφίας λόγοις cum verbis λόγου ἢ σοφίας (v. 1) et ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως conferre voles, porro si animadvertes in quibusdam libris legi πειθοῖ et λόγου pro πειθοῖς et λόγοις, accedes, puto, mihi emendanti : ἐν πειθοῖ σοφίας καὶ λόγου. Mutatione πειθοῖ in πειθοῖς factum fuit ut λόγου (1) in λόγοις (2) mutaretur et καί evanesceret, quod legen-

(1) ου = ων (*Bast*) : unde factum est ut nonnulli librarii legerent λόγων (var. lect. ms.).

(2) ν = ις (*Tournier*), ω = ο (*Bast*), ergo λόγων = λόγοις.

tis admirationem non movere debet, quandoquidem istud καί inter σοφίας et λόγου situm fuerit (1). Mutationem ipsam πειθοῖ in πειθοῖς dittographia primae litterae v. σοφίας peperit. Vox πειθώ (subst.) nusquam in N. T. reperitur : unde menda. Quamobrem adjectiv. πειθός in textum penetravit, prorsus in Graecorum sermone inusitatus, at scriba quidam vocabulum usurpavit familiare, et πιθανοῖς scripsit, non πειθοῖς. Ad hunc modum explicatur quasi genealogia variarum lectionum.

Quod si reputas v. λόγοις in nonnullis cod. omissum fuisse, fieri non potest quin concludas verba καὶ λόγου male omissa, deinde in margine adscripta, falso in textum irrepsisse, ac verba καὶ ὁ λόγος μου peperisse, quibus incipit v. 4 et quae delenda sunt tanquam otiosa, imo tanquam duplex repetitio valde inutilis (sententiae repetitio primum (cf. κήρυγμα), tum verbi λόγου, λόγος repetitio). Lege ... : ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς, καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖ σοφίας καὶ λόγου, ἀλλ' ἐν...

Mendae quae in ἐν πειθοῖ σοφίας notavimus, profuit v. 13, qui librariorum animos procul dubio occupavit, ut liquet e lectione quorumdam in v. 4 cod. ac T. R. : οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις.

II, 6-7.

Non desunt profecto argutulae v. καταργουμένων explicationes, quo tamen offendor. Suspicatus sum πανουργευομένων (Cf. III, 19 : ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν) Πανουργεύομαι in med. depon. a LXX in uno loco et ab Eust. (Passow) usurpatur. Infrequentia verbi tunc mendae causa est, quam palaeo-

(1) In scriptura unciali α = λ, σ = ο (*Bast*, *Vollgraff*, etc.), et καί per κ = ις exaratur.

graphice confusio litterarum x, ν, π, τ (Vollgraff) expedit.

Attamen, si quis confert cum II, 6, vers. XIII, 11 et I, 19, 20, 28, et insuper animadvertit in vers. 7 Paulum σοφίαν τὴν ἀποκεκρυμμένην scripsisse, sibi persuadere non possit Paulum in v. 6 non dedisse τὴν καταργουμένην (1). — Cum *Godet* recuso ἐν μυστηρίῳ cum ἀποκεκρυμμένην (v. 7) conjungere (*Theodoret*, *Thomas Aquinas*). *Godet* quoque demonstrat haec verba ad λαλοῦμεν referri non posse (*Grimm*, *Meyer*). Non possunt autem ad σοφίαν referri, ut cupit *Godet*. Articulo τήν ante ἐν μυστηρίῳ aegre caret propositio. Qui a *Godet* citatur locus (Rom., V, 15) nullum affert argumentum, nam perperam explicatur ab eo. *Wabnitz* (2) recte asserit v. ἐν χάριτι cum ἐπερίσσευσεν et non cum δωρεά conjungenda. Aperte enim verba ἐν χάριτι τῇ τοῦ ἑνός... verbis τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι respondent. — Meo judicio in v. 7, Paulus ἐν μαρτυρίῳ scripserat. Non est cur demonstremus μαρτύριον et μυστήριον posse confundi, nam in v. 1 cod. inter duas lectiones μυστήριον et μαρτύριον distrahuntur. Quod si in hoc cap. vox μυστήριον legeretur aliquo loco, in v. 1 sine dubio inveniebatur (3).

(1) Ita Paulus sapientiam diu absconditam non alii sapientiae quam Deus multo ante detexerit (*Godet*), sed sapientiae cujus prophetae eversionem nuntiaverunt (I, 19, cf. 28) opponit.

(2) Praelectiones de epist. Pauli ad Romanos.

(3) In hoc v. lectio μυστήριον in ℵ codice legitur, quem sequuntur *Westc.* et *Hort*, *Edwards*, etc... Non capio quare *Godet* illam « absolument déplacée dans ce contexte » judicat. Mihi contra cum I, 19-21, 27-28, quadrare optime videtur, modo voci μυστήριον sensum tribuas quem *Godet* ipse tribuit : « ce mot se rapporte, chez saint Paul, à un plan caché en Dieu et que lui seul dévoile » (p. 123), et : « chez Paul il signifie simplement une vérité ou un fait que l'intelligence humaine ne peut découvrir par elle-même, mais qu'elle saisit dès que Dieu en donne la révélation » (p. 125). De verbis καταγγέλλ. τὸ μυστήρ. cf. Ephes., VI, 19. Ni fallor, restituendum in v. 1 μυστήριον. Variam autem lectionem quam spernimus explicamus, ut

Menda e part. ἀποκεκρυμμένην orta est (1), quod in proximo invenitur. Forte etiam ad hoc accessit falsa v. 6 interpretatio quam plerique hodie interpretes tuentur, quam autem mox refellemus. — Ad λαλοῦμεν v. ἐν μαρτυρίῳ referenda.

II, 8-10.

Nonne miraris in v. 10 ἀπεκάλυψεν sine figura adhiberi? Vertit *Godet* : « Dieu nous *les* a révélées par l'Esprit. » Sed *Godet* ipse, non Paulus pronomen istud inducit. Figura in v. 8 reperitur : ἥν. Velim igitur mecum scribas ἥν οὐδεὶς — ἔγνωκεν (εἰ γὰρ ἔγνωσαν — ἀγαπῶσιν αὐτόν), ἡμῖν δὲ — πνεύματος. Longa est παρένθεσις, nam scriptor locos scripturae sacrae affert, verborumque ordo in v. 10ª perfecte ordini verborum in v. 8ª respondet. — Malim Gebhardtinam lectionem ἃ (ἡτοίμασεν) spernere lectionemque ὅσα accipere quam boni probique codices habent, quam insuper accipiunt *Lachmann, Tischendorf, Westcott* et *Hort*, *Godet.* Etenim facilius admittitur mutatio v. ὅσα in ἅ (reputa prioris ἅ vim) quam inversa mutatio. Dubito autem num ὅσα genuina lectio sit. Requiro : καὶ ἡτοίμασεν. Confusionem verborum ὅσα et καί *Bast* indicat. Habendum est illud καί pro initio apodosis (2) v. 9, ex quo facile orietur explicatio optima hujus v. 9 qui probabilem nondum nactus est explicationem : « Quae

Godet illam quam sprevit explicat, et dicimus : vox μαρτύριον e v. 7 advecta huc est.

(1) Cf. Eph., III, 9. Col., I, 26.

(2) « Καί, ut hebr. ו, incipit apodosin, quam ita cum protasi connectit... » (Grimm). Usus ille v. καί apodosin incipientis, similis est particulae δέ usui cuidam apud profanos scriptores et etiam in N. T. Quem usum eo facilius in hoc loco accipies, quod hebraica lingua Paulum diversas prophetarum locos instruentem vehementer sollicitat.

oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, illa paravit Deus eum diligentibus. »

II, 13.

Noli in πνευματικοῖς masc. gen. deprehendere (*Bengel*, *Rückert*, *Hofmann*, *Godet*). E duobus verbis πνευματικοῖς πνευματικά, unum quae dicantur (τὰ χαρισθέντα, ἃ λαλοῦμεν), alterum autem quomodo dicantur (ἐν διδακτοῖς πνεύματος sc. λόγοις) indicat. Quae interpretatio ab *Erasme*, *Calvin*, *de Wette*, *Meyer*, *Osiander* proposita et accepta fidelissima est; frustra negante *Godet*, a sensu verbi συγκρίνω quem *Passow* dat (1), non deflectit. At, objicit *Godet*, haec verba illo modo enucleata sententiam iterant, quae ante est. Respondere possimus, ut explicantur a *Godet*, repetere haec verba v. 14-15 aut III, 1, et *Godet*, ut perissologiam fugiat, non vitare pleonasmum. Reipsa autem in interpretatione quam defendo, nulla est repetitio. Ἀντίθεσιν Paulus presse enuntiat ac quasi coelat, ne legentes fugiat aut parum animos commoveat. Restatque semper ut simplicius sapientiusque est participium per periodum ubi ponitur explicare, quam explicationem a sequentibus versibus mutuari — praesertim a sententia verbisque horum vers. quae antecedentibus vers. aliena sunt. Oportebat *Godet* jam v. 14-15 legisse, ut de illa explicatione cogitare posset. Primi autem epistulae lectores qui nondum adj. πνευματικός invenerant ad personas relatum et qui nuperrime 12-13ᵃ legerant, necossario duo

(1) « Ueberh. vereinigen, verbinden — τίς κάλυκας συνέκρινε βάτῳ, τίς σῦκα μύκησιν; wer hat sie zusammengefügt, mit ihnen vereinigt? » *Godet* contra explicationis proprium est sensum v. συγκρίνω non vere effingere; dubitare licet quin exemplo translationem confirmare possit, quod modo pro mea feci.

πνευματ. explicare debebant, ut ipse explicavi. Haec quoque explicatio sola cum v. καί convenit optime, intellecto ut ipse *Godet* intelligit : participium συγκρίνοντες, verbumque λαλοῦμεν quocum arcte colligatur, ab illo καί pendent. — Praeterea integrae manent, interpretatione mea, ubertas et copia orationis apostoli. Confer enim haec verba : πνευματικοῖς πνευματικὰ συνκρίνοντες (13), πνευματικῶς ἀνακρίνεται (14), ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει πάντα... (15). Nonne haec interpretatio digna est sola Paulo, quae his in verbis quatuor dissimiles usus adj. πνευματικός videt? « Spiritualia verba tradentia revelationes spirituales judicari modo spiritualiter a spiritualibus possunt — omnium judicibus a nemine judicatis. » — V. 15-16 non quasi ornandi causa sunt additi (*Godet*). Egregie v. II, 9-11 respondent, quod non satis animadversum opinor. Et primum constat ἀναλογία locorum quos scriptor affert (v. 9 et 16). At συμμετρίαν oculorum et mentis acie plane senties, si perspexeris :

ἡμῖν δὲ ἀπεκάλυψεν ὁ Θεὸς διὰ τοῦ πνεύματος	ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν
τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐραυνᾷ	ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει πάντα
τίς γὰρ οἶδεν...	τίς γὰρ ἔγνω...
τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς ἔγνωκεν	ψυχικὸς ἄνθρ. τὰ τοῦ πνεύματος
	τοῦ Θεοῦ οὐ δύναται γνῶναι
εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ	ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται
τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς ἔγνωκεν εἰ μὴ τὸ πνεῦμα	ὁ πνευματικὸς ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται
τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς ἔγνωκεν	τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου

Quibus collatis apparet *Godet* v. πάντα et οὐδενός (v. 15) recte interpretari. Definitur etiam verbi ἀνακρίνω significatio, quod significationem v. ἐραυνάω (γινώσκω) usurpat.

III, 1-4.

Conjecturas quas illi, me judice, leviter corrupti versus postulant, cum mea cap. I, 17-III, 9 interpretatione non conjunxi, ne forte putares ab illis conjecturis hanc interpretationem pendere. Imo contra ab interpretatione pendent conjecturae quas nunc indicare liceat.

Membrum ὡς νηπίοις ἐν Χριστῷ melius ad γάλα ἐπότισα quam ad λαλῆσαι referretur. Νήπιος (νη — ἔπος) *infans* significat (sens. etymolog.). Scriptor epistul. ad Hebr. plane figurae fidelis fuit cum scripsit : ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης · (νήπιος γάρ ἐστι) (V, 13). Puer νήπιος autem cum non solum non loquatur, sed etiam loquentes non intelligat, praedicationes capere non potest quas ipsi capiunt σάρκινοι. Porro post σαρκίνοις periodus v. 1 absoluta est, dum ὡς quoddam cum ἐπότισα conjunctum optime intelligeretur. Lege igitur : ὡς σαρκίνοις. Ὡς νηπίους ἐν Χριστῷ γάλα ὑμᾶς ἐπότισα. Ordo verborum perspicuus est. Si Paulus ὡς νηπίους ἐν Χριστῷ γάλα ὑμᾶς ἐπότισα pro γάλα ὑμᾶς ἐπότισα ὡς νηπίους scripsit, non aliud voluit quam animos Corinthiorum in illud νηπίους defigere, quod plus valet quam σαρκίνοις. Quin etiam velut νηπίους vos habui ! — Ceterum in unciali scriptura litterae υ et ι (quae fere item exprimebantur) saepe confunduntur. Vicinitas duorum in οις dativ. ac duorum priorum ὡς mendi causa fuit.

Quibus correctis, observa varias lectiones καὶ οὐ βρῶμα, — οὔτε (quod praefert *Godet*), — νῦν (sine ἔτι) pro ἔτι νῦν. Verisimiliter Paulus dedit : ἐπότισα. οὔπω βρῶμα γὰρ ἐδύνασθε. ἀλλ' οὔτε νῦν δύνασθε, ἔτι τε σαρκικοί ἐστε. Haeserunt librarii in particula γάρ ita posita — quod tamen non omnino inusitatum est (Cf. *Grimm* lex.) — atque in verbis οὔτε — τέ. Isto modo natae sunt mendae :

Bis restitutum οὔπω dedit οὔπω βρῶμα οὔπω γὰρ ἐδύνασθε :

unde facile (π = κ, ω = α, κα = και — *Bast*, aut ω = β — *Bast*, π = κ = και — *Bast*) οὐ καὶ βρῶμα ortum est. E librariis autem sunt qui illud καί incomprehensibile omittant, sunt qui transponant : unde variae lectiones quae in cod. reperiuntur. — Cum τε = γε = γαρ (*Bast*), ἔτι τε σαρκ. facile ἔτι γὰρ σάρκ. factum est. — Mutatio οὔτε νῦν in οὐδὲ ἔτι νῦν potest multis modis explicari. Aut vox ἔτι bis restituta fuit, tum bene, tum male, et οὔτε ἔτι factum est οὐδὲ ἔτι (figuris οὔτε et οὐδέ crebro in codicibus confusis); aut scriba incautus οὐδέ in textu scripsit, et cum errorem senserit, in margine notavit in locum οὐδέ reponendum esse οὔτε; deinde, ut saepe evenit, posterius duo verba scriba quidam apposuit, unde lectio οὐδὲ οὔτε, quae facile οὐδὲ ἔτι peperit sive palaeographica corruptione sive scribae correctione.

Varie verba κατὰ ἄνθρωπον (v. 3) et οὐχ ἄνθρωποί ἐστε (v. 4) explicata sunt. Observandum est vocem ἄνθρωπος non semper a Paulo in pejorem partem rapi. Christo applicat illam (Rom., V, 15; 1 Cor., XV, 21-27; Phil., II, 8). Cum de παλαιὸς ἄνθρωπος (Rom., VI, 6; Eph., IV, 22; Col., III, 9) sermo est, ipsa verborum structura ostendit quemdam esse καινὸν ἄνθρωπον. Ac revera talem verborum compositionem Paulus usurpat (Eph., IV, 24; cf. Col., III, 10) et τὸν ἔσω ἄνθρωπον (Rom., VII, 22; Eph., III, 16) commemorat quem τῷ ἔξω ἀνθρώπῳ in 2 Cor., IV, 16 opponit. Se ipsum Paulus ἄνθρωπον ἐν Χριστῷ (2 Cor., XII, 2) vocat. Denique satis sit legenti locos magnopere ad rem pertinentes indicare, quos longius esset afferre (Eph., II, 15; IV, 24. Col., III, 10). Et illos locos, et nostrum textum cum Eph., IV, 13 conferemus : μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι.

Ex omnibus illis quae supra indicavimus, non omnino false conjiciemus vocem ἄνθρωπος voci ἀνήρ (in Eph. loco)

parem esse, quam verbo νήπιος opponere licebit; hic igitur idem ἄνθρωπος atque τέλειος valebunt. Illi interpretationi vocis ἄνθρωπος contextus favet. In illis quae Paulo Corinthii exprobrant, tria sunt crimina :

1. Imperitus adeo fuerit Paulus, ut compellaret eos perinde ac si σάρκιν. essent. — Dictum fuit Paulum, cum jam sapientiam suae institutionis (II, 6 sq.) defenderit, hic tantum respondere : ἔτι σαρκικοί ἐστε.

2. Paulus insuper Corinthiis lac potum dederit, quasi νήπιοι ἐν Χριστῷ essent.

3. Paulus denique inscitiam Corinthiorum spreverit, — quamobrem Paulo succensent. Forte magis suspicantur Corinthii Paulum sprevisse inscitiam illam, quam audiverunt spernentem. (Sed ubi primum enuntiatur ea inscitia, a Paulo vehementer contenditur (III, 26.)

Itaque e tribus illis criminibus, duo sunt quibus Paulus respondeat (primum ac tertium). Nonne existimare licet eum secundo quoque respondisse ?

Forma ipsa periodi hoc expostulare videtur. Quam si paulo attentius inspicis, mecum scribes ἔτι τε σαρκικοί ἐστε. (ὅπου γὰρ ἐν ὑμῖν — σαρκικοί ἐστε ;) καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε. (ὅταν γὰρ λέγῃ — οὐκ ἄνθρωποί ἐστε ;) Symmetria manifesta.

Tria periodi membra οὔτε νῦν..., ἔτι τε..., καὶ κατά... secum per οὔτε — τέ — καί conjunguntur. E quibus cum priora ambo criminibus respondeant duobus prioribus, necesse est tertium membrum tertio quoque crimini respondere.

Verumtamen fieri non potest ut interpretationem justam invenias, nisi T. R. mutes. Simpliciter emenda καὶ < οὐ > κατὰ ἄνθρ. aut (quod paleographice facilius etiam explicabitur) καὶ κατὰ ἄνθρωπον < οὐ > περιπατεῖτε. « Secundum maturum hominem non ambulatis. » Κατά, auctore *Grimm*, in περιπατεῖν κατά τι significat « ad normam alicujus rei, accommodate ad... » — Ex eo quod verba περιπατεῖν κατὰ ἄνθρωπον

plerumque in vitio ducuntur, non efficitur, iterum dicam, ut sensus quem proponam spernendus sit, praesertim cum contextu expostuletur.

Ad v. 4 explicandum duae patescunt viae, inter quas difficile est praeoptare. Sensus utique idem est. Num vertendum « etenim cum quis dicit : Ego quidem..., homines non estis, scil. τέλειοι », an « etenim cum quis dicit : Ego quidem..., hominesne estis? » In priore interpretatione quadrat negatio cum v. 3^{b} negatione : T. R. servatur. In posteriore, quadrat interrogatio cum v. 3^{b} interrogatione, ac corrigitur ...Ἀπολλώ, ἄνθρωποί ἐστε, omissa negatione οὐκ quae forsan illa est quam ante περιπατεῖτε reposuimus ac male omissam male restituerint librarii : mea igitur de ἄνθρ. conjectura ordinis immutatio demum foret.

III, 5.

Interpuncto ut solet v. 5, verba καὶ ἑκάστῳ — ἔδωκεν ex ambiguo dicta videntur. Grammatice enim possent illos qui crediderint aeque ac illos qui διάκονοι nominentur designare. Contextus profecto ostendit haec verba referenda esse ad οἱ διάκονοι. Sed ostendit etiam Paulum cum haec scriberet, potius de discrimine (v. 6) quam de similitudine (διάκονοι) Pauli Apolloque cogitavisse. Amphiboliam omnino vites asyndetonque in v. 6 deleas et meliorem denique sensum obtineas interpungendo : ... δι' ὧν ἐπιστεύσατε. Καὶ ἑκάστῳ — ἔδωκεν, ἐγὼ ἐφύτευσα.....

III, 8.

Aegre fero illud ἕν mediis in enuntiatis in quibus tantum de diversitate sermo est, nec video quomodo vocis istius absonae enodatio eruenda sit. Haec quae memoratur unitas,

ut intellexit *Godet*, unitas esse non potest communis Ἀπολλώ cum Paulo vanitatis (1) : nam ad quid referendum esset verbum ἕν ? Referendumne ad v. οὐδέν ? Sed illud verbum nusquam exprimitur. An ad v. τι ? Sed illa interpretatio contrarium sensum praeberet illius quem assequi cupiunt, ac simul contra v. 7 repugnaret. Nam propositio fieret non : « neuter aeque quidquam est, » sed : « unusquisque quidquam est. »

« Paulus et Apollos ambo sunt διάκονοι Θεοῦ ; ex quo fere unitas illa orta est quae in controversia versatur » (*de Wette, Meyer, Heinrici*, etc...) — Minime, ut opinor. Nam periodus in qua v. διάκονοι reperitur nimis procul a v. ἕν jacet, verbisque plurimis, quibus v. διάκονοι in oblivionem adducitur, ab illa voce sejuncta est. In periodo autem ubi invenitur συνεργοί, oratio non in συνεργοί, sed in Θεοῦ defigitur, ut dilucide apparet ex loco et repetitione v. Θεοῦ.

Cogitat *Godet* illam unitatem fuisse : « celle de l'œuvre à laquelle ils travaillent ensemble. » Nullo modo fieri potest quin censeam Paulum male, incallide et temere locutum fuisse, si modo hanc sententiam aperire voluerit. Difficile verbis ἕν εἰσιν illa vis subjecta esse potest; quam ne v. ἓν ποιοῦσιν quidem haberent : quae autem contextui contradicerent, quandoquidem unus φυτεύει, alter ποτίζει, et unus quisque recipiet τὸν ἴδιον μισθόν secundum τὸν ἴδιον κόπον.

Si v. ἕν retineri posse putes, transponas ita ut locum corruptum sic constituas..... ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός. ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον — κόπον. ὁ φυτεύων — ἕν εἰσιν · Θεοῦ γάρ — ἐστε. Praestiterit fortasse transponere : ὁ φυτεύων δὲ — ἕν εἰσιν · Θεοῦ γὰρ — οἰκοδομή ἐστε. Ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν — κόπον. Κατὰ τὴν χάριν...

Verumtamen reponere malim leniore manu : ... ὁ ποτίζων οὐθὲν εἰσιν. « Neque ille est aliquid qui plantat, neque ille

(1) *Bengel* : Neuter aeque quidquam est.

qui irrigat, sed qui incrementum dat *Deus*. (Quod autem ad illum attinet qui plantat et ad illum qui rigat, nihil sunt. Ceterum, quid istud ad vos? Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem). *Dei* enim sumus adjutores; *Dei* ager estis, *Dei* aedificium estis. » Colligetur arcte v. 9 cum ὡς ὁ κύριος ἔδωκεν (v. 5), ἀλλὰ ὁ Θεὸς ηὔξανεν (v. 6), ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός (v. 7). Quod mihi postulari videtur cum positione, tum repetitione Θεοῦ in v. 9. Τὸ γάρ quoque praeclare ita explicatur. V. 8 autem quasi interclusionem explanatoriam haberem.

De verbis οὐθὲν εἶναι, confer VII, 19; XIII, 2. — Vices variant (οὐχ) εἶναί τι et εἶναι οὐδέν in epistula nostra, de idolis (Cf. VIII, 4 (1) et X, 19).

Erroris causa non latet : post (ποτίζ)ων, οὐ(θέν) evanuit. Nam ων = ου (*Bast*); et ante εν, littera θ evanuit, nam θ = ε (*Bast*, *Vollgraff*).

III, 10-12.

Meyer ac *Godet* hos v. male expedire mihi videntur, in quibus tamen sententiarum constantia ac tenor in aprico sunt.

Paulus fundamentum *posuit*. Quod fundamentum, quia jam positum est, dici potest in praesenti κείμενον. Postquam factum illud mere enuntiavit, addit Paulus primum : « alius autem superaedificat », tum : « unusquisque autem videat quomodo superaedificet. »

Vox γάρ v. 11 duas explicationes ad haec duo membra referendas inducit. Illud γάρ igitur simul ad v. 11 et v. 12 pertinet.

Ἄλλος ἐποικοδομεῖ · θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, scil. παρὰ τὸν θεμέλιον ὃν ἐγὼ Παῦλος ἔθηκα. Quaprop-

(1) Cf. explicationem quam de voce οὐδέν in h. l. *Godet* proponit.

ter quicumque aedificabit, cum super aliud fundamentum aedificare non possit, cogetur super fundamentum a me positum aedificare.

Ἕκαστος δὲ βλεπέτω πῶς ἐποικοδομεῖ. Εἰ [γὰρ] δέ τις ἐποικοδομεῖ κτλ...

Recusat *Meyer* θεμέλιον κείμενον pro fundamento a Paulo posito habere. Optat fundamentum esse a Deo ipso positum (1)! « Denn wenn *Niemand* einen andern Grund als den bereits liegenden legen kann, so konnte es auch Paulus nicht, so musste also der κείμενος schon da sein, als Paulus selbst Grund legte. » In qua argumentatione, ut libere dicam quod sentio, nihil inest nisi insulsitas.

« Nemo in praesenti potest aliud fundamentum ponere quam illud a me jam positum. » At liquet illud « non potest » non exstitisse antequam Paulus fundamentum posuit (2). O mira videlicet *Meyer* argumentatio! Oportebat ergo fundamentum jam positum fuisse, ut Paulus illud ponere posset! Paulo profecto necesse non erat esse Paulum, ut illas minime utiles gloriosasque partes agere posset in silvam ligna ferendi (3)! Denique, ut usque ad extremum argumentationem propellamus, sermone ipsius *Meyer* utemur dicemusque : « Wenn *Niemand* einen andern Grund als den bereits liegenden legen kann, so konnte es auch Gott

(1) 2 Tim., II, 19 neutiquam pro *Meyer* facit. Nam contextus discrepant. Ceterum huic loco alius sensus mihi dandus videtur quam ille qui plerumque accipitur.

(2) Cf verborum tempora ἔθηκα et δύναται.

(3) Argumentatio *Godet* mirum quoque exitum habet : « L'Apôtre veut dire que son œuvre, à lui, a été relativement simple... L'œuvre de ceux qui ont à construire l'édifice sur le fondement posé n'est pas aussi simple... La direction des âmes converties est une œuvre bien plus délicate que le travail destiné à les convertir... »

nicht, so musste also der κείμενος schon da sein, als Gott selbst Grund legte! »

Dici potest cum *Godet* particulam δέ v. 12 adversativam esse, non autem obliviscendum e particula γάρ illam pendere. Inter v. 11 et 12 eadem oppositio constat atque inter ἄλλος ἐποικοδομεῖ et ἕκαστος δέ... Oppositio vers. 11 et 12 illam explicat oppositionem, quae est, in vers. 10b, inter duo periodi membra. Ideo quoque Paulus hunc ordinem enuntiatorum adhibuit pro isto : ἄλλος δὲ ἐποικοδομεῖ. Θεμέλιον γὰρ — Χριστός. Ἕκαστος δὲ — πῶς ἐποικοδομεῖ. εἰ γάρ τις ἐποικοδ. κτλ.

Addamus in contextu nusquam sermonem esse de fundamento *subjectivo* in animis ponendo (sic *Godet*), aut de fundamento *objectivo* : « welches für die ganze Christenheit liegt » (*Meyer*). Unice ac mere de fundamento Corinthiae ecclesiae agitur ; illaeque de « objectivo » et « subjectivo » controversiae omnino incongruentes sunt et prorsus supervacuae.

III, 13.

Aegre caret ἀποκαλύπτεται suo nominativo, ni fallor. Nam licet, *Godet* auctore, asseverare neque ἡμέρα, neque ἔργον, neque Χριστός pro illo absenti subjecto haberi posse. Mihi autem valde displicet, vereorque ne multis displiceat impersonalis usus ille quem *Godet* usurpare cupit. Transponere malim parenthesibus utens :

Ἑκάστου τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται (ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει), καὶ ἑκάστου τὸ ἔργον τὸ πῦρ δοκιμάσει (ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται ὁποῖόν ἐστιν αὐτό).

Quibus transpositis, inter se omnes partes consentiunt neminemque fugiet symmetriam diligentissime a Paulo esse custoditam. Conjunctioni γάρ respondet conjunctio ὅτι ; ac duo membra quasi explicationes per illud ὅτι illudque γάρ cum duobus membris conjunguntur, quorum utrumque

cum ἑκάστου τὸ ἔργον incipit. Tum intelliges quoque vocem αὐτό, quae non ferendum, ni ita se res haberet, pleonasmum efficeret. Denique proxima fiunt duo praes. ἐστιν et ἀποκαλ. atque in eodem membro leguntur secum conjuncta, non unumquodque cum futuro colligatum. Inter librarios fuere qui scriberent quae in Gebh. editione legere poteris, fuere autem qui scriberent : ὁποῖόν ἐστιν αὐτὸ τὸ πῦρ. Sed ante τὸ πῦρ, αὐτό factum est αυ : quae syllaba negligenda fuit inter ἐστιν et τὸ πῦρ (α = ιν, α = ι, ν = υ, υ = τ, *Bast*). Sic orta est lectio quam codices boni probique habent, omittentes αὐτό.

III, 14-15.

Perspice, quaeso, verba αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός, dein positionem imprimis v. μενεῖ inter τὸ ἔργον et ὃ ἐποικοδ. in v. 14 illumque v. cum v. 15 confer. Nonne suspicaris perturbationem aliquam in textum irrepsisse?

Equidem in v. 14 interpunxerim : εἴ τινος τὸ ἔργον μενεῖ, ὃ ἐποικοδόμησεν μισθὸν λήμψεται : « mercedem quod superaedificaverit accipiet. » Illa interpretatio cum IX, 17-22 et X, 33 convenit. Recte observat de nostro v. *Godet* : « le salaire ne peut être le salut ; car l'ouvrier fidèle était déjà en possession de ce bien suprême quand il travaillait. » Multas hujus mercedis partes distinguit, inter quas indicat « le bonheur de voir revêtues de gloire les âmes qu'un fidèle ministère a contribué à sanctifier. » Me auctore, illam felicitatem solam cum hic, tum in jam citatis v. IX, 17-22; X, 33 Paulus spectat.

In v. 15 Paulum dedisse conjeci : εἴ — κατακαήσεται, ζημιωθήσεται οὕτως, σωθήσεται αὐτὸς δὲ ὡς διὰ πυρός. Mirati sunt scribae δέ talem tenere locum : quod si raro, interdum tamen fieri potest. Affert enim *Grimm* exempla in quibus δέ tertium, vel adeo quartum l. tenet. Addere potuisset l.

in quo vox δέ quintum (Joh., VIII, 17) obtinet locum. Stupor librariorum eo valuit ut, transpositis vocibus οὕτως et αὐτός, dittographia vocis δέ nasceretur — ζημιωθήσεται οὕτως significat : « incendio laborem suum deletum videbit : sic enim poenas persolvet. »

IV, 2.

Intueamur varias lectiones, quas cod. habent. Lectiones ζητεῖτε ac ζητεῖται dignae non sunt ut in illis commoremur. Cum horum duorum vocabulorum una eademque sit pronuntiatio, interpretibus licet vocem eligere cum contextu aptius convenientem : obscuritas textus causa fuit cur inter has duas figuras libri jactarentur. Recipit *Gebhardt* ὧδε, ὅδε (aut potius ὃ δέ) autem *Godet.* E quibus lectionibus priorem manifestum est fidem facere majorem, si modo lectio difficilior praeferenda faciliori. Quomodo explicari possit mutatio verbi ὃ δέ in ὧδε? Qua plane involuta facta fuisset Pauli mens, ac librarii ipsi nullo pacto quae scriberent capere potuissent. Intelligitur contra facile mutatio verbi ὧδε in ὃ δέ, qua periodus obscura tolerabilior evadit neque omnino sensu vacat. — Addit ℵ τι post λοιπόν : quae lectio ad genuinam lectionem recuperandam valet.

Correxerim : τί δὲ λοιπὸν ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις; ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ. « Ubi semel οἰκονομία cuidam credita est (1), quid amplius petitur? ut fidelis inveniatur. » Littera τ a librariis omissa, atque in margine scripta facta est τι (τ̣ = τι — *Vollgraff* — fortasse antequam in margine adscriberetur, scripta fuerat littera τ inter versus). Fieri potuit ut, e margine, illud τι in v. 5 transpositum fuerit sive ante κρίνετε ubi legitur τι quod sine damno abesset, sive potius ante φωτίσει

(1) Sic enim atque optime, ni fallor, *Godet* λοιπόν interpretatur.

ubi legitur v. καί quod non habent cod. graec. lat. Reposuit scriba verb. τι post λοιπόν (א) : quod bis ita repositum fuit, si tibi non displiceat τὸ καί ad hunc quem dici modum in v. 5 expungere.

Ut ut sit res, superfuit in textu ιδε λοιπον... Litterae ι e ω saepe confusa sunt (*Bast*). Insuper cum scribae in primo versu vocem οὕτως nuper vidissent, idem atque ὧδε volentem, non mireris cur figura ιδε quae intelligi non posset, facta fuerit ὧδε. Postea scriba quidam textum emendavit et scripsit : ὃ δέ. Locus ita restitutus orationem praebet expeditam et facile diffluentem.

IV, 3.

Qui in h. l. ἤ vertunt *aut* non intelligunt quare Paulus ἀνθρωπίνη ἡμέρα commemoret. Censeo in ἤ particulam comparationis latere quae in N. T. crebro usurpatur, comparativo etiam non antecedente (cf. Gramm. von *Winer*) (1). Minus etiam curat Paulus se a christianis quam a paganis judicari! Ex quo perspiciendum est quam minime illum movet a christianis Corinthiis judicari! In his v. ordo quidam honorum indicatur et, ut ita dicam, dignitatum in tribunali gradu. Pagani infimi judices sunt; Christiani Corinthii, quandoquidem paganos judicare debeant, secundum locum obtinent; insuper apostolus (ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω) ; in fastigio denique, κύριος. — Non est cur mireris Paulum ita auctoritatem suam extollere, postquam se Co-

(1) Superlativum autem ἐλάχιστος pro positivo haberi potuisse, ex illo pellucet quod Paulus comparativum ἐλαχιστότερος (Eph., III, 8) usurpat. — De non absimilibus comparativis cf. 3 Joh., v. 4 : μειζοτέραν, non e superlativo quidem, sed e comparativo (μείζων) factum.

rinthiis quasi subjecerit (III, 22) : cum Christo ipso enim non aliter se gerit (VI, 13). Duo sunt quasi vultus veritatis qui secum non pugnant. Pro christianis enim Paulo datum fuit, quod sibi vindicat, imperium, scil. propter illorum spirituale commodum.

IV, 5.

Durae rejiciendaeque sunt explicationes quas interpretes, non excepto *Godet*, de voce καί in h. v. dare voluerunt.

Quam vocem, cum, ut jam vidimus, in cod. graec. lat. non legatur, fortasse expunxerim tanquam ex illo τι v. 2 natam, quod e codicis margine in textum male irrepserit.

Sed illo verbo καί non omnino deleto, cogitabam an pro καὶ φωτίσει legendum esset ἐκφωτίσει. Frequens enim est confusio vocum ἐκ et καί (*Bast*); infrequens contra verbum ἐκφωτίζω, quod in graecis qui ad nos pervenere libris, a Clemente Alexandrino solo usurpatum fuisse videtur. Illius mendae fere hae causae sunt.

Lenius autem possis quae in Gebh. editione legantur, ut nunc sint, explanare. Explana enim : « ... quoadusque veniat Dominus, qui (non solum veniet, sed) etiam illuminabit... » Eodem quoque modo explicandum illud καί in I, 8 (1) : « Christus qui (vos non solum in omnibus divites fecit... etc..., sed) etiam confirmabit vos... » Ad quem locum lege *Godet* scribentem : « Le καί rappelle que l'œuvre à accomplir encore, ne sera que la légitime continuation de celle qui est déjà opérée chez eux (2). »

(1) Cf. 1 Thess., V, 24.
(2) Cf. tamen quae supra de h. l. diximus.

IV, 6.

Suspensos multos interpretes tenuere verba μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται. Neque interpretationes quas *Godet* sprevit neque ipsius *Godet* interpretatio ferri possunt. Asserit enim is acutissimus interpres in his verbis proverbium quoddam inesse quod in « rabbinicis » scholis usurpatum fuerit. Corinthiis sane Paulus formulam hujusmodi normamque dare potuit; non poterat autem ad se ipsum eas pertinentes putare. Nam licet proverbium sit quodlibet, nullo modo fieri potest ut Paulus se ipsum apostolum declaret scripturae cuidam subjectum esse. Potest sane scriptura illa Paulo alia esse ac rabbinis : semper autem est scriptura. Indicat *Godet* sacram scripturam : « elle qui partout enseigne le néant de l'homme ! » Quae dura interpretatio ultra quam satis est petitur. Nisi verba inferas in textum a textu neque dicta neque postulata, voces de quibus nunc agitur, nullo utique vinculo cum contextu colligantur.

Dubito num haec sana sint (1) : et, cod. perspectis, dubitatio crescit. Primum enim textus byzantinus post γέγραπται addit φρονεῖν. Et ego, sicut *Godet*, auctoritatis tantum illi cod. tribuere paratus sum, quam cod. alexandrin. vel graec. lat. — Tum etiam, dum cod. graec. lat. et byz. legunt ὃ (γέγραπτ.), legunt contra cod. alexandr. ἃ (γέγρ.). Ex quo potest probabiliter confici pronomen istud varie scriptum male sedulis emendatoribus deberi, qui statuerent lacunam illamque explere cuperent.

Cogitavi igitur an forte in III, 20 καὶ πάλιν < γέγραπται > legendum esset, Paulusque in IV, 6 τὸ μὴ ὑπερφρονεῖν de-

(1) Primo quidem adspectu libenter illum l. conferres cum 2 Cor., I, 13 : « οὐ γὰρ ἄλλα γράφομεν ὑμῖν ἀλλ' ἢ ἃ ἀναγινώσκετε. »

disset. Omissa a librariis verba γέγραπται et φρονεῖν in margine adscripta fuerunt, et, ut opinior, in inferiore paginae parte, cum notis quibus indicabatur in textum ea iterum inserenda esse (1), sed quae posthac animadversa non fuere. Scriba quidam conjunxit γέγραπται φρονεῖν, et, cum intelligeret post ὑπέρ excidisse aliquid, in h. l. verba marginis inseruit. Lacuna quaedam tamen supererat, quam per ὃ explevit : unde lectio byzantina τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν.

Alii librarii contra v. φρονεῖν neglexerunt ac modo γέγραπται reposuerunt. Deinde alii ὃ (graec. lat.), alii ἃ (alex.) inter ὑπέρ et γέγραπται interpolarunt.

Verbum φρονεῖν omissum fuisse potest, postquam in textu iterum jam legerentur voces γέγραπται φρονεῖν juxta ὑπέρ. Attamen haec sunt quae animo meo malim proponere :

Librarii qui φρονεῖν omisere, librum transcribebant in quo discernebantur liquido notae (in margine) juxta γέγραπται et φρονεῖν positae, de quibus jam sermo fuit, atque item nota juxta ὑπέρ posita. Sed nota proxima v. πάλιν (III, 20) evanuerat. Librarii igitur reposuerunt post ὑπέρ prius verbum quod nota comitabatur, scil. ipsum γέγραπται. Non intellexerunt quid sibi vellet v. φρονεῖν; et cum viderent hoc vocabulum in alio l. reponendum ac γέγραπται, illum l. invenire non potuerunt (quod satis percipiendum est). Consilium igitur ceperunt ut vocabulum omitterent, putantes fortasse in eo latere legentis cujusdam importunam annotatiunculam.

Ceterum infrequentia verbi ὑπερφρονεῖν quod in N. T. modo in Rom., XII, 3 (2) reperitur, errori profuit. Si duo illa

(1) Similes notae in textu juxta voces ponebantur prope quas verba omissa restituenda erant.

(2) Illa infrequentia, me auctore, in h. l. causa fuit cur interpretamentum addiderint librarii παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν (aut φρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν) quod cum orationem Pauli valde exsanguem verbosamque reddat, deleverim ut scholium marginale.

ἵνα copula nulla conjuncta respicies, mecum fortasse non multus dubitabis quin interpungas : Ταῦτα δὲ — μετεσχ. — δι' ὑμᾶς. Ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπερφρονεῖν. Ἵνα μὴ εἷς — κατὰ τοῦ ἑτέρου. Efficit ἵνα periphrasin imperativi.

IV, 14.

Cum h. v. cum VI, 5 et XV, 34 confero ac verba quae locum versibus VI, 5 et XV, 34 dederunt, cum verbis quae IV, 14 inducunt, miror Paulum ita scripsisse. Imo vero exspectabam : ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα. Reponere igitur nullus dubito : εἰ καὶ ἐντρέπων — ἀγαπητὰ νουθετῶ. « Post protasin conditionalem vel concessivam initio apodosis ἀλλά significat *tamen* « (*Grimm*), atque ita ponitur ab ipso Paulo in nonnullis v. post εἰ καί (2 Cor., IV, 16; V, 16; XI, 6. Col., II, 5). Quod ad rem palaeographicam attinet, neminem fugit saepe confusas esse syllabas ου et ει (*Bast*), et satis notum est conjunctionem καί crebro prima solum exarari littera (*Tournier*).

V, 1.

Haec v. in codicibus optimis fere similiter tradita non sana esse suspicor. Nullo vinculo enim cum illis quae supra sunt verbis colligata sunt, quamvis in apostoli animo procul dubio transitio vinculaque non defuerint (Confer V, 2, 6 cum IV et V, 3-5 cum IV, 21). Exspectaveram potius : ὅλως <οὐκ> ἀκούεται — τοῦ πατρὸς ἔχειν. Vereor enim ne inter ὅλως et ἀκούεται, negatio οὐκ perierit, cum praesertim syllabae ως et ους, α et ου a scribis saepissime confusae sint (*Bast* — Demonstrat *Bast* οὐκ perperam, in l. quodam, natum e sequente syllaba ακ : in nostro l. mendam inversam invenimus).

Vers IV, 21 et V, 1 arcte conjungi, facile videre possis : Num vos immerito in hunc modum ego, Paulus, interrogavi? Num ecclesiae vestrae conditio ac status mihi probari possunt? Nonne sunt inter vos cum fornicarius, tum perpugnaces qui tempus in altercando superbiendoque consumunt, nedum in noxium saeviant? Nonne auditur inter vos... etc.?

V, 2.

Nisi interpretes metuerent excommunicationem, non perseverarent ἵνα ἀρθῇ ad ἐπενθήσατε referre. Significatio verbi ἐπενθήσατε oppositione constituitur quae inter illud et πεφυσιωμένοι ἐστέ (cf. v. 6) constat. Repone igitur interrogationis notam post ἐπενθήσατε : « Et vos inflati estis, et non potius in luctu fuistis? » Ut viderunt jam *Pott* et *Hofmann* (miror hanc interpretationem *Godet* in commentario suo non recepisse), particula ἵνα novam periodum incipit : « Tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit! » Hoc modo solum commode explicari possunt verba μὲν γάρ et ἤδη in v. 3. Adversus haec non objiciendum passivum ἀρθῇ. Quid enim quaerit Paulus, nisi ostendere quam necessarium sit noxium non amplius in ecclesia commorari? Sed a quo quibusve noxius expelletur? Illius hoc parvi refert : permagni contra interest noxium expelli. Quapropter tibi existimare licet in illo v. 2^b latere aut jussum quod exsequendum Corinthiis sit (quod fortasse postulant v. V, 7, 13), aut postulationem qua Deum oret apostolus (quod fere idem est ac sensus a *Godet* propositus), aut tandem Pauli ipsius declaratio qua nuntiet decretum suum non multo post explicatum (ἐγὼ μὲν γὰρ ἤδη κέκρικα). Mihi videtur tertia illa explanatio accipienda, sed simul vel prima vel secunda explenda. Nam decretum Pauli nihil esse potest debetque, nisi jussum aut precatio.

V, 3-4.

Frustra, ut opinor, *Godet* conatus est subtiliter οὕτως τοῦτο enucleare. Reputa, sodes, quam sensu carens h. l. foret, servatis illis verbis aut saltem eorum ordine, atque animadverte iterum sine causa dictum esse παρών et in nonnullis cod. (E F G L) ὡς ante ἀπών legi. Accedes igitur, puto, mihi reponenti : ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, ἤδη κέκρικα οὕτως τὸν τοῦτο κατεργ. κτλ. Errorum causa in aprico est. Nimirum ὡς et παρών omissa primitus et deinde in margine adposita, male in verborum contextum fuerunt inserta. Adverbium οὕτως pariter oblitum fuit pariterque translatum. Quod expeditius intelligas, si inspexeris syllabas

(κεκρι)καουτως τον τουτο κα(τεργασαμ.)

Persimiles sunt hae syllabae quae leguntur inter (κεκρι)κα et κα(τεργασαμ.). Quamobrem illarum quasdam a librariis omissas fuisse non est cur mireris (α = ου, ως = ους, ν = υς, ν = υ, ν = κ — Bast et Vollgraff).

V, 7.

H. v. ut multi jam interpretes offensi fuere, sic ego quoque offendor. « En disant : vous êtes (inquit *Godet*), l'Apôtre pense à ce qu'ils sont, non en fait, mais en droit... Il ne s'agit plus, pour le croyant, que de devenir ce qu'il est déjà (en Christ). » Praeclara profecto sententia est, illisque, ut mihi videtur, persimilis, quae in VI, 11 apostolus sine dubio enuntiare voluit. Attamen in V, 7 contextus, me judice, adversus hanc interpretationem pugnat. Praestiterit, ni fallor, ἔστε pro imper. habere. Nonne vides in v. 6-7 duas adhortationes exprimi, quibuscum duae explicationes

conjunguntur ? « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio : nam modicum fermentum totam massam corrumpit. Pariter estote azymi : etenim pascha nostrum immolatus est Christus. » Et in v. 8 duae illae hortationes congregantur (μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ — ἐν ἀζύμοις). Quemadmodum hortationes repetuntur, ita quoque earum rationes convenientes : ad illa duo repetitionum genera notanda voces καθώς et καὶ (γάρ) pertinent.

V, 11.

Cave né μηδέ vertas « ne... quidem » (nicht einmal, auch nicht). « Car cet acte (de συνεσθίειν) est caractérisé par là comme ce qu'il y a de moins grave, » fatetur *Godet*, qui tamen translationem v. μηδέ recipit quam repudio. Porro, familiaritas maxima, ut manifestum est, verbo συνεσθίειν indicatur : illi autem qui solum συναναμίγνυσθαι solent, minorem inter se contrahunt amicitiam. « Recevoir quelqu'un à sa table était chez les anciens un signe d'intimité beaucoup plus que de nos jours » (sic *Godet*). Quamobrem pro *neque* tantum μηδέ habendum est referendumque τῷ τοιούτῳ ad συναναμίγν. quod ceterum hic nulla cum figura dicitur. Τῷ τοιούτῳ autem a verbo συναναμίγν. ita semovit Paulus, ut figuram premeret. — Atqui figuram jam post συναναμίγν. expressam necesse non erat juxta συνεσθίειν iterum scribere. Tali verborum ordine et compositione non solum pondus, sed etiam causa argumento tollitur, quo adversus illos utitur *Godet*, qui τὸ συνεσθίειν transferunt « à la rupture de la relation ecclésiastique par l'exclusion du culte et de la sainte Cène. » Ceterum in errore versetur *Godet*, an recte interpretetur, ad hanc disputationem nihil refert. Utcumque casura res est, sive οἱ συνεσθ. *agapis* sive modo privatis conviviis intersint, gravius semper quidquam designat συνεσθίειν

quam τὸ συναναμίγν. Semper igitur verba distorquent qui μηδέ vertunt *ne... quidem.*

V, 12-13.

In his v. rapuit scribas in errorem similitudo vocum ἔξω et ἔσω; quae igitur transpositae fuerunt. Suffecerit in v. 12b ἔξω in locum ἔσω, atque in v. 13a ἔσω in locum ἔξω supponere. Qua emendatione omnia recte et ordine procedent, ac v. V. 12-13 plane cum cap. VI et XI epistulae cohaerebunt.

Paulus, ut συναναμίγν. interpretaretur, hoc modo disseruit : « Vitate peccatores — non eos qui foris sunt, sed eos qui intus sunt. De illis qui foris sunt loqui mihi in animo non erat. Etenim quid mihi de iis qui foris sunt judicare? » Hoc recte duntaxat. Sed in T. R. pergit Paulus : « Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis? » Minime. Valde nego. Nequaquam judicant Corinthii eos qui intus sunt : memento incesti. Argumento est quod Paulus Corinthios quia non judicaverunt τοὺς ἔσω vituperat! Coguntur ergo interpretes male κρίνετε interpretari ac vertere : « nonne vos judicare *debetis* (1)? » Nam quid interpretatione : *judicabitis* lucremur non video. — Exspectaveram potius Paulum, postquam dixerit : non *meum* est τοὺς ἔξω judicare, indicaturum esse *quorum* igitur esset eos judicare, eoque magis exspectaveram quod in sequentibus (VI, 2-3) in argumentum advocatur illud : Christiani judicant (praes. prolept. quae cum futur. alternant) aut judicabunt mundum, i. e. τοὺς ἔξω. Quamobrem verte : « Nonne vos (*vos* quidem ac vos *aliquando* — idcirco non est necesse *me nunc vestro* muneri vicarium succedere)

(1) Quae translatio cum de ἔστε in V, 7 proponeretur, notavit *Godet* : « plusieurs exégètes le traduisent : vous devez être, — ce qui, grammaticalement, est inadmissible. »

judicatis (=judicabitis) τοὺς ἔξω? » — Denique in T. R. pugnant inter se 13ª et VI, 2-3, — fortasse per speciem modo, dicat quispiam, sed tum etiam contradictio neutiquam admittenda : in uno loco, Deus mundum judicat, in v. seq. autem judicant Christiani. Quae inter ὑμεῖς (v. 12) et Θεός (v. 13) oppositio constat, jure demonstrata fuit a *Godet*, auget vero contradictionem. Quamobrem verte, verbis ut dixi transpositis : « Sed τοὺς ἔσω Deus judicabit. » Quaenam est conclusio? « Nisi a Deo judicari velitis (XI, 31), judicate vosmet ipsos, auferte malum e vobis ipsis. »

VI, 2-4.

Quomodo vertenda vox κριτήριον? Ni fallor, idem valet atque judicum collegium (1), sicut τὸ πρεσβυτέριον (1 Tim., IV, 14) collegium est presbyterorum. Vers. 2ᵇ idem fere valet atque ἀνάξιοί ἐστε εἶναι κριτήρια ἐλάχιστα; indignine estis qui collegia sitis judicum, a quibus judicentur minima (2)? Ceterum, si verbum de quo agitur, *tribunal* solum designaret, id est, *judicum sedem* aut *locum ubi judicium habetur*, nihi-

(1) Verbo δικαστήριον quod *Chrysost.* tanquam v. κριτήριον cognominatum usurpat, talis est sensus. Super κρίτ. lexic. *Stephani* enuntiat illud vocabulum « de judicibus ipsis » adhiberi, citatque *Polyb.*, IX, 33, 12 : « οὐχ αὐτὸν ἀποδείξας κριτὴν ὑπὲρ τῶν ἀντιλεγομένων, ἀλλὰ κοινὸν ἐκ πάντων τῶν Ἑλλήνων καθίσας κριτήριον. »

(2) *Godet* hujus v. sensum optime vidit (« Vous qui jugez le monde, vous ne seriez pas dignes de juger les choses les moindres? ») Sed significatio quam v. κριτήριον tribuit (« sentence rendue ») exemplis nullis confirmata est; praeterea illud incommodi habet ut in v. 4 importari nequeat. Namque revera in h. v. *Godet* vertit « *procès* » (alia aeque suspicienda significatio). Sed accipi non potest, ut idem verbum tam exiguo intervallo repetitum duas varias significationes habeat.

lominus Paulo metonymia liceret illo uti vocabulo, ut judices ipsos nuncuparet. Videbimus mox similem de ποτήριον, θυσιαστήριον metonyniam (1).

Vertemus igitur v. 4 : « Si forte eveniet (aut cum evenit) ut collegia judicum habeatis ad saecularia judicanda, illi quos (judices) constituitis, illi sunt etc... » Subaudio κριτήρια tanquam posteriorem ad καθίζω (2) pertinentem figuram. Hoc emolumentum interpretationibus hactenus propositis deest, quibus commentatores coguntur v. καθίζω sine ulla definitione usurpare : quod mirum est. — Τὸ ἐὰν ἔχητε ostendit, Paulo judice, christianis nullos cujusque modi judices habendos fuisse, neque paganos, neque christianos : quod expresse in v. 7 dicit. « Si judices tamen habeatis, clamat in v. 4, christianos saltem eligite ! Sed inter paganos (quod culpam vestram auget) judices quaeritis! »

Invito *Godet*, simplicius congruentiusque est τοὺς ἐξουθενημ. v. 4 pro paganis habere quam pro christianis Corinthi stolidis a consecraneis eorum contemptis. Nullum e *Godet* argumentis est quod refutari facile non possit.

1° Usitatam significationem particulae οὖν servare facile est. Paulus v. 4 incipit : « Ergo si lites saeculares habetis; » ex illis quae ante sunt, logica conclusio foret : « fratres vestros judices constituitis. » At inter hanc logicam conclusionem et rerum veritatem Corinthi, contradictio interest. Apostolus illam contradictionem ante oculos, ut ita dicam, ponere contendit. Quamobrem, superiorum quasi immemor, exspectatamque consulto negligens conclusio-

(1) Cf. Hebr., XIII, 10, ubi ἔχειν cum v. θυσιαστήριον in metonymica significatione usurpato adhibetur.

(2) Possis inter duas subdistinctiones ἐὰν ἔχητε ponere ac βιωτικὰ κριτήρια ad καθίζετε referre, ita ut post ἔχητε v. βιωτικὰ κριτήρια subaudias.

nem, ita concludit : « Paganos constituitis judices (1)! » Periodi finis ille minime, ut apparet, initio consentaneus plurimam legentibus admirationem movet, ita ut animum ad scriptoris sententiam diligenter attendant. Σχῆμα est quod *suspensio* dicitur, atque in omnibus grammaticorum scriptis describitur. — Animum extemplo illa cogitatio subit : Corinthii valde noxii atque insulsi sunt! Quod revera dicit Paulus : πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, quae verba modo in interpretatione a *Godet* recusata omnem suam vim habent. — Accedit illud quod frustra *Godet* conaretur, si suam servaret explicationem, finem v. 5 expedire. Paulus ordine omnino caret. Interpretante *Godet*, dicit enim : « Judices constituite illos qui pro nihilo in ecclesia habentur! Quid tum? nullusne sapiens est inter vos, ut ad infideles confugere cogamini? » Respondere Paulo Corinthii potuissent : « Quare exclames : nullus est sapiens inter vos...? Necessarium non est inter nos esse sapientes. Ipse dixisti : satis est stultos eligere judices! » — Paulo dicendum erat : « Nullusne inter vos sapiens est? Quod si nullus est, potius quam ad infideles confugiatis, stultos fratres judices constituite. » *Godet* interpretationi igitur transpositionibus opus foret, ut posset servari. Sed quomodo transpositiones illae perpetrari possent?

2. Vox καθίζειν optime usurpari potest ad significandum « prendre pour juges des hommes déjà constitués tels par d'autres. » Quod ex eo conficitur, ut christiani illos sibi velut judices possent non eligere. Sub potestatem illorum judicum subjiciuntur modo quia illis placet, quia judices hos adeunt, i. e. quia eos judices constituunt. Significatio v. καθίζετε definitur ac circumscribitur v. βιωτικὰ κριτήρια

(1) Pro exclamatione, ita praestiterit interrogative vertere : « in ecclesia contemptos, judices constituitis? »

significatione. Pagani judices in his negotiis judices modo erunt, si christiani illos judices constituunt. Usus v. καθίζω hanc interpretationem confirmat. Ita καθίζειν τὸ δικαστήριον significat judices convocare aut congregare — judices, i. e. homines jam ab aliis judices constitutos (ad verbum, judices sedere jubere).

3. Auctore *Godet,* verba ἐξουθεν. ἐν τῇ ἐκκλησ. ad paganos referri nequeunt. A *Godet* autem quaeremus, ubi apud Paulum viderit christianos ἐξουθ. ἐν τῇ ἐκκλ. vocari. Si tantulum Paulo logicae in mente ac constantiae in verbis eligendis tribuitur, liquet illa verba paganos indicare. In I, 28 enim Corinthii christiani τὰ ἀγενῆ τοῦ κόσμου καὶ τὰ ἐξουθενημένα vocantur. Ergo si christiani τὰ ἐξουθ. ἐν τῷ κόσμῳ sunt, dilucet τὰ ἐξουθ. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ paganos modo esse posse. Oppositio manifesta est. Qui in mundo contemnuntur, stulta et infirma mundi sunt (τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου, v. 27), christiani. Sapientes mundi (οἱ ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου, v. II, 6) in ecclesia contemnuntur, i. e. pro nihilo habentur (cf. I, 28) : Deus enim stultam fecit, i. e. contemnendam mundi sapientiam (I, 20).

Hos vers. explicare, T. R. servato, conatus, non confido felicem exitum consecutum esse. Mea interpretatio sola mihi videtur proponenda : non autem semper mihi placet. Τὸ ἔχητε paulum mirum manet; et fas est dubitare quin Paulus in v. 4 jam sententiam significatione appellare voluerit, quam in v. 7-8, copiosius explicabit. Praeterea, cum verbum βιωτικά v. 3 inter v. κριτηρίων ἐλαχίστων et βιωτικὰ κριτήρια ponatur, difficile videtur illa βιωτικά (v. 3) non habere tanquam κριτήρια. Animadverte etiam v. κρίνειν in toto hoc loco tantum ad homines applicari (judicantes aut judicatos — κόσμος fere sicut hominum societas usurpatur). Ergo si κρίνειν ante βιωτικά (v. 3) subaudiendum est, igitur personas

βιωτικά indicat. Insuper ante βιωτικά subaudiendum est κρινοῦμεν (1). Judicium τῶν βιωτικῶν igitur tam eschatologicum est quam angelorum judicium. Denique, cum frequenter verbum κρίνειν in his v. nuncupetur, nonne optima VI, 2 explicatio sit, ultima verba habere tanquam idem valentia atque ἀνάξιοί ἐστε κρίνειν κριτήρια ἐλάχιστα ?

Suspicionem movet verbi οὖν in v. 7 apud nonnullos codices omissio. Me judice, servandum οὖν in h. v., quia lectio difficillima est. Ceterum v. μὲν οὖν sensus a *Passow* indicatus dandus est : « Ganz ausgemacht, ohne allen Zweifel. » — Sed, illa lectione perspecta, si 3-4 cum 7 conferre libet, mecum fortasse conjectabis Paulum dedisse :... μήτιγε βιωτικά; καὶ κριτήρια ἐὰν κρίνητε... Verbum βιωτικά bis perperam scriptum fuit. Qui error e mala insertione natus est verborum μὲν οὖν in v. 7, neglectorum inter βιωτικά et καὶ κριτήρια. Unde etiam omissio particulae καί, quae ante κριτήρια nihil mirum praebet. Denique, si me audis, τὸ ἔχετε v. 7 corruptionem v. κρίνητε peperit, quam palaeographia ceterum non ita difficile explicat.

Significatio textus restituti ea est : Judices paganos quaeritis? Nonne scitis sanctos mundum judicaturos? Quod si vos mundum judicatis (= judicabitis), num indigni estis qui judices paganos judicetis? Nonne scitis nos angelos judicaturos? et saeculares judices *a fortiori* non judicaremus? Quod si judicatis (praes. prol. ut τὸ κρίνεται in VI, 2), judices paganos, illos qui pro nihilo in ecclesia habentur, illos constituitis vestros judices?

Adeo valebat sententia illa (Corinthios judices suorum

(1) Non (ut *Godet*) λέγωμεν. Cf. *Passow* : « In Verbindung mit den Partikeln γέ u. δή wird μή τι elliptisch gebraucht, so dass daneben der Verbalausdruck des vorhergehenden Satzes wiederholt zu denken ist. »

judicum (paganorum) esse), ut mirum fuisset si Paulus illam non expresse et fuse enuntiavisset.

Ut Corinthiis argumentis confirmet judices judicum illos esse, Paulus primum illam causam affert, quod mundum judicabunt. Judices autem mundi pars mundi sunt. Ergo... Attamen videtur Paulus alia ratiocinatione uti : Si mundum (qui adeo magnus est) judicatis, judices paganos non judicaretis (qui adeo parvi sunt)?

Deinde illud affert Paulus, quod Corinthii non modo mundum, sed etiam angelos judicabunt. Ac si jam intelligi non possit ut mundum judicantes non judicent judices, nonne absurditas summa sit contendere illos qui angelos mundo tam praestantes judicaturi sint, judices non esse judicaturos qui mundo tam impares sint? Ergo si judices judicum estis... illos judices aditis?

Vox βιωτικός in N. T. modo in Luc., XXI, 34 occurrit ubi videtur fere idem sonare atque τοῦ κόσμου τούτου vel τοῦ αἰῶνος τούτου : quem sensum si non directo et in se habet, a contextu saltem mutuatur.

VI, 5.

Fatetur *Godet* expediri non posse verba ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Interpretationem quamdam tamen timide proposuit, quam, ni fallor, non multi accepturi sunt. Equidem requiro διακρῖναι ἀνὰ μέσον τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ. Neminem enim fugit syllabas ων et ου saepissime confusas esse cum in omnibus codicibus (*Bast*), tum praesertim in cod. Apocryph. V. T. Praeterea animadvertenda est proximitas αὐτοῦ imprimisque ἀδελφοῦ (v. 6).

VI, 16-17.

Locus citatus (ἔσονται — σάρκα μίαν) mihi parenthesis esse

videtur; ac post verba ἓν πνεῦμά ἐστιν (v. 17) notam interrogationis (;) reponendam puto. Manifestum est, me judice, duo membra quae cum ὁ κολλώμενος incipiuntur, ejusdem uniusque periodi articulos oppositos esse.

VI, 18.

V. illum quem nondum commode expedire potuerunt, suspicor esse corruptum. Fortasse manum Pauli reperiemus scribentes : πᾶν ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἄνθρωπος ἐκ τούτου τοῦ σώματος, ἁμάρτημά ἐστιν (Cf. ἐξουσιασθήσομαι v. 12 et ἐξουσιάζει v. VII, 4, ἴδιον σῶμα v. VI, 18 et VII, 4.) In τούτου τοῦ σώματος latet ἓν σῶμα v. VI, 16. Explicandum ἐκ sicut in Rom., XIV, 23. Fornicatione totam vitam suam homines sub ditionem et quasi in dominium peccati ponunt.

Hoc posito, non me teneo quin oppositionem inter 18^{a} et 18^{b} constare conseam : ἁμάρτημα — ἁμαρτάνει, ἐκτὸς τοῦ σώματος — εἰς τὸ ἴδιον σῶμα. Corrigendumne igitur πᾶν ἁμάρτημα ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἄνθρωπος, <οὐκ> ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν? Structura ipsa periodi talem conjecturam subjicit (πᾶν ἁμαρτ. κτλ). Οὐκ evanescere facile potuit inter ἐκτός et ἄνθρωπος (ος = ου, ο = ε — *Basl*). Hoc habebat in mente Paulus : nullum peccatum sine corpore est; nullum homo contrahit peccatum, non corpore in conscientiam peccati adscito (quod omnino de quibusvis peccatis verum est) (1). At in fornicatione corpus non instrumentum solum aut auctor peccati, sed etiam victima est. Simul unaque « subjectum » atque « objectum » peccati est, quia et facit et patitur. — Animadvertes Paulum non dicere fornicationem *solam* illud esse peccatum quo adversus se ipsum peccet peccator.

(1) Cf. 2 Cor., V, 10 : « ... ἵνα κομίσηται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν εἴτε ἀγαθὸν εἴτε φαῦλον. »

Eumdem fere sensum assequi poteris, legens ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σώματος..., deleta syllaba τος v. ἐκτός tanquam dittographia v. τοῦ (ος = ου — *Bast*). Cur syllaba τος ad vocem ἐκ adjuncta fuerit post (ἄνθρω)πος et ante (σώμα)τος (π = τ — *Vollgraff*, *Bast*) facile intelligeretur. Inter 18ᵃ et 18ᵇ oppositio tum acutior evaderet (ἐκ — εἰς). Omnia quidem peccata sunt ἐκ τοῦ σώματος. Fornicatio autem simul est ἐκ τοῦ σώματος καὶ εἰς τὸ σῶμα.

VII

Omnes commentatores (e quibus nunc illi, nunc huic assentitur *Godet*) ita illam epistulae partem interpretantur, ut apostoli sententiae diffusae, perturbatae fiant, et, ut ita dicam, dissipatae. Quod augurari tibi fas est, his, quae in hoc cap. esse existimant, brevissime commemoratis :

1-2. Paulus de coelibatu disserit : superiorem esse coelibem, legitimam autem conjugalem vitam. — Nullo modo legentibus admonitis, subito ad aliud propositum venit : qua ratione se in communi vita gerere conjuges oporteat (3-5). — Nihilo minus inopinato ad coelibatum revertitur. Deinde de coelibibus ac mulieribus viduis disputat (8-9). Mox agitat discidium ac divortium (10-17). A proposito paulisper declinata sententia, de virginibus loqui incipit (25), quas autem mox obliviscitur ut de viris coelibibus iterum dicat (27-28$^{a\alpha}$). At celeriter ad virgines refert sermonem (28$^{a\beta}$), quas tamen denuo confestim relinquit. Et iterum a proposito digreditur ut rursus ad viros matrimonio conjunctos ac viros coelibes revertatur (32-33). Verumtamen ad virgines denuo redit (34-38). Et, ut cap. concludat, iterum (39-40) ad viduas revertitur de quibus jam (v. 8) sermo fuit.

Me judice, si Pauli verba minime apta inter se et colligata

videntur, vitia ista commentatoribus, non epistulae scriptori imputare debemus. Nimia sententiarum repetitio crebraeque iterationes magna in parte vitari possunt. Hic est ordo quem mihi Paulus secutus esse videtur :

I° — 1-5. — *De conjugum in connubio ratione vitae.*

Merito habuerunt quidam v. 1 pro concessione, quamvis vocabulum « concessio » parum conveniat. Textu quidem, ut nunc se habet, servato, haec opinio, ut ostendit *Godet,* vix defendi potest ; reponam autem καλὸν μὲν ἀνθρώπῳ. Etenim optimi nonnulli cod. (quos sequitur *Godet*) legunt : ἐγράψατέ μοι, καλόν..., dum alii nihilo minus boni probique (quos *Gebhardt* sequitur) μοί omittunt. Igitur per marginem illud μοί verisimiliter iter fecit. Merumne est legentis cujusdam aut scribae scholium? Equidem malim illud μοί pro particula μέν post καλόν omissa atque in margine adscripta habere. Velim animadvertas in unciali scriptura ε et ο, ν et ις, κ et ις saepissime confusa esse : unde expedite intelligitur ut, intempestive ante καλόν insertum, ubi omni sensu careret, μέν factum sit μοί.

Rückert optime vidit hos v. 1-2 ad conjugum in connubio rationem vitae esse referendos : quod nunquam interpretes infitiari debuissent. Nequaquam enim in v. 3 Paulus indicat se ad aliud propositum deflectere. Imo oppositiones hujus v. 3 et v. 4 manifesto reddunt ac producunt oppositionem quae in v. 2 constat. Praeterea verba ipsa v. 2 demonstrant Paulum h. v. matrimonium jam tenentibus destinare. Coelibibus non diceret : *unusquisque* vestrum matrimonio se obstringat ! Repugnantia enim expresse diceret (v. 7 (1), 8, etc...). Denique si de illo sermo fuisset :

(1) Igitur solus Paulus charisma coelibatus accepisset ! Quae cum

contrahendumne an vitandum matrimonium, non scripsisset Paulus τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, sed (ἕκαστος) γυναῖκα ἐχέτω, non (ἑκάστη) τὸν ἴδιον ἄνδρα, sed (ἑκάστη) ἄνδρα ἐχέτω. Verba τὴν ἑαυτοῦ γυν. et τὸν ἴδιον ἄνδρα non ostendunt solum τὸν ἕκαστον et τὴν ἑκάστην jam matrimonio conjunctos fuisse, sed in illo conjugali habitu orationem quasi defigunt. Ita v. 2 idem consilium dat quam illud quod in v. 5 paulum aliter enuntiatur.

II° — 6-9. — *Num vidui ac coelibes utriusque sexus coelibem vitam vivere debent?*

Errant editores atque interpretes qui novum « alinea », quod dicitur, in v. 8 incipiunt ac vers. 6-7 cum v. 1-5 connectunt. In v. 6 jam incipitur nova explicatio : τοῦτο non ad dicta, sed ad dicenda se refert. Inter v. 7 et 8 manifestum vinculum est : ὡς καὶ ἐμαυτόν — ὡς κἀγώ. V. 7 parenthesis est, quae explicat quare Paulus nullam ἐπιταγήν exprompserit. Prius δέ v. 7 ad categoriam illorum pertinet quae *Grimm* his verbis enucleat : « Infert explicationes easque ab iis, quae explicanda sunt, secernit, maxime notationes et explicationes expositioni interpositas, aut quasi appendicis loco additis. Quo usu particulae factum est ut haud raro in codd. (etiam profanorum scriptorum) confunderetur cum γάρ. » Similiter illud δέ in v. 8 idem valet atque illa δέ quae ita interpretatur *Grimm* : « Post parenthesin vel expositionem quae a re, de qua agitur, abduxerat, recipiendae orationi inservit. » Significant igitur Pauli verba : « Haec sunt quae dico secundum indulgentiam, non se-

ita essent, quare moneret illos qui charisma connubii acceperint, rectius facturos esse si coelibem vitam agere pergant ? Admirabilis contradictionum compositio !

cundum imperium (velim enim profecto omnes esse sicut meipsum; sed fateor unumquemque proprium charisma habere), dico scilicet coelibibus... » — *Godet* multis interpretibus (*Beze*, *Grotius*, *de Wette*, *Hofmann*) assentiens putat quae Paulus κατὰ συγγνώμην dicit, illa ad officium matrimonia conferendi pertinere. Simplicior commodiorque mihi mea explicatio videtur. Etenim in textu de isto quod fingunt officio nullo modo agitur. Praeterea si de illo in secundo ageretur versu, nemo esset qui v. 6 ad v. 2 referendum crederet. Necesse est enim hunc ad illos referri qui vel supra vel infra proximi sunt. Denique Paulum in v. 28 et seq. legentes deterrentem a connubio videmus : quod, ut dicit, οὐ κατ' ἐπιταγήν (v. 25) agit, sed animum intendens ad utilitatem Corinthiorum felicitatemque (32, 35, 40), ut prosit illis (φείδομαι v. 28), ut sine curis, sine moerore permaneant. Itaque veri similius est cum in primis, tum in ultimis v. συγγνώμην commemorari de matrimoniis non conferendis.

Procul veritate abest, quod dictitant interpretes redditque *Godet*, e verbis ὡς καὶ ἐμαυτόν apparere Paulum viduum non fuisse et apparere quidem certo certius. « Car, » scribit *Godet*, « comment aurait-il pu exprimer le désir que tous les hommes fussent veufs ! » Eodem argumento demonstrare polliceor Paulo suae nunquam datum fuisse illum stimulum carnis, quippe qui non solum ad Galatas scriberet : γίνεσθε ὡς ἐγώ, ὅτι κἀγὼ ὡς ὑμεῖς (IV, 12), non solum Agrippae responderet : εὐξαίμην ἂν τῷ θεῷ καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν μεγάλῳ οὐ μόνον σὲ ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς ἀκούοντάς μου σήμερον γενέσθαι τοιούτους ὁποῖος κἀγώ εἰμι (Act., XXVI, 29) (1), sed etiam vers. VII, 7-8 epistulae nostrae paulo ante illam 2 ad Cor. epistulam quae de stimulo carnis loquatur, scribat, fere igitur,

(1) Animadverte illum vincula sua excipere. — Ergo stimulum carnis non excipit!

iisdem temporibus. Itaque quaero : « Quo pacto potuit Paulus magnopere velle omnibus hominibus dari stimulum carnis? Quomodo etiam gestire potuit omnes homines *jam* stimulo carnis *laborasse?* » Illorum trium l. beneficio, possis efficere ut Paulus semper tranquillissimam, jucundissimam, minime inquietam vitam degerit. — Equidem non contendo Paulum viduum fuisse : nec scio nec me ignorantiam meam fateri pudet. Fateor in his v. nihil contineri quod quaestionem sive hinc sive illinc solvere possit. Ceterum *Godet* ipse illam tandem sententiam effert quae paulum cum illa discrepat quam primum defenderat : « L'idée de demeurer comme Paul, d'après le sens d'ἄγαμοι, peut comprendre la persévérance dans le célibat, aussi bien que celle dans l'état de veuvage » (p. 301). Fiat sane. Sed dicere « de coelibatu agitur » non magis fas est quam dicere « de viduitate. » Significatione Paulus appellat suûm praesentem habitum : uxorem non habet. Nihil ponit ex quo concludatur eum olim fuisse aut non fuisse matrimonio conjunctum.

In v. 8 loquitur Paulus de viduis. Ut explicaretur cur iterum de viduis disputaret, dictum fuit : « Paul n'avait parlé aux vers. 8 et 9 des veuves, qu'en les réunissant avec les célibataires et les veufs, et leur position sociale était assez différente de celle de ces derniers pour qu'il pût juger nécessaire d'ajouter une explication spéciale à leur égard » (*Godet*). Quae explicatio mihi probabilis videtur; aptius autem conveniet si legemus τοῖς χήροις. Mendum ex illo natum est, quod masc. genus χῆρος in N. T. nusquam reperitur, χήρα contra invenitur ac praesertim frequenter in I ad Tim. recurrit. — Jamdudum senserunt interpretes verba τοῖς ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις non posse tantum viros coelibes et mulieres viduas designare. Attamen fieri nullo modo potest ut vocis ἀγάμοις significationem per significationem v. χήραις circumscribas et in ἀγάμοις viduos solos deprehendas. Et si

fortasse liceret in ἀγάμοις sive coelibes cum viros tum mulieres, sive viros cum coelibes tum viduos, in hac voce non videre possumus : 1° coelibes viros ; 2° viduos ; 3° coelibes mulieres. Verumtamen mihi non persuadeo Paulum modo de viduis mulieribus locutum fuisse ac ne verbum quidem de viduis viris fecisse, aut modo de viris coelibibus fuisse locutum ac de innuptis aetate provectis verbum ne fecisse quidem. Nodus solvendus tantum duobus modis :

a) Latius per ἀγάμοις vocis χήραις significatio pateat, ut in illis χήραις omnes mulieres coelibes sive viduas sive innuptas reperias. Quod non tam illicitum foret quam ἀγάμοις per χήραις circumscribere : sic evanesceret iteratio 8-9 et 39-40. Attamen illa explanatio difficilis videtur. Nam Hesychius profecto dicit omnes qui uxorem non haberent χῆροι appellatos fuisse, etiamsi vidui non essent. Sed exemplis nonnullis opus esset ad demonstrandum similem fem. χῆραι usum valuisse, et, quidquid est, hoc non more in N. T. receptum est, in quo χήρα semper *viduam* designat.

b) Restitue quod proposui τοῖς χήροις. Quo facto facile intelligi potest Paulum, cum cap. concluderet, nonnullos v. viduis impertitum fuisse. De quibus nec unice nec seorsum locutus erat, quaedam autem ad viduos neque spectantia neque necessaria dicere volebat.

III° — 10-17. — *De divortio.*

Asseverat *Godet* γεγαμηκόσιν christianos aut christianas conjuge vel christiana vel christiano utentes significare. In eo nititur quod opponantur, illo auctore, τοῖς γεγαμηκόσιν et τοῖς λοιποῖς. In τοῖς λοιποῖς laterent conjuges matrimoniis imparibus inter christianos et non-christianos utentes. Hoc defendi nullo modo potest. — Ut *Godet* ipse declarat, γεγαμηκ. verbis ἀγαμ. κ. χήρ. opponitur. Itaque designat hoc vo-

cabulum *omnes* epistulae lectores vel auditores, quicumque sint, qui matrimonio quolibet conjungantur. Nihil correctionem indicat aut exceptionem. De exceptione ista *Godet* quidem cogitare modo potuit, postquam v. 11 sq. et legit et interpretatus est. Priores autem epistulae lectores qui verisimiliter non ab imo epistulam legere inceperant, neutiquam admoneri poterant de vi speciali ac circumscripta v. γεγαμηκ. Ceterum quae ratio in v. 10-11 instituta fuit, ratio est communis quae non minus ad imparia quam ad paria connubia pertinet. Fingamus Paulum οὐ δεδούλωται ὁ ἀδελφὸς ἢ ἡ ἀδελφὴ ἐν τοῖς τοιούτοις scripsisse, et prius non dixisse conjuges christianos imparibus matrimoniis junctos adstringi nova connubia non contrahere, si relinquerentur a pagano paganave conjuge : credere potuissent Corinthii conjugi christiano christianaeve licere ad alias nuptias transire, vivente etiam altero alterave conjuge (pagano paganave vel judaeo judaeave). Diutius exspectavisset Paulus ut illos ab errore averteret, si usque ad v. 39-40 exspectavisset, in quibus ceterum de alia disputatione ambigitur. — Quod ad λοιποῖς attinet, non licet eos pro conjugibus habere impari connubio junctis. Illa interpretatio v. τοῖς λοιποῖς sensum dat quem nec habuere unquam, nec habere possunt, nec contextus indicat : contra quam voces εἴ τις ἀδελφός... καὶ γυνὴ εἴ τις... quasi causam agunt. Ut res sese dant, corrigamus τὸ δὲ λοιπόν. Mendam perfacile expedies, cum confusio ν et ις frequentissima sit (*Bast*, *Tournier*, *Vollgraff*), et mutatio λοιπόν in λοιποῖς, quam plur. dat. ἀγάμοις et γεγαμηκόσιν scribae diligenti parum suaserunt, magnopere valuit ad mutationem τό in τοῖς (1) trahendam.

In toto h. l., in quo propositiones sibi invicem respondent

(1) Fortasse praestiterit restituere τὰ δὲ λοιπὰ (cf. XI, 34). Nam α = ον = οις, α = εκ = οις. (Bast.)

ac membrum ad ἀνήρ pertinens membro respondet ad γυνή pertinenti et e contrario vicissim, neglexisse Paulus bis mihi videtur symmetriam efficere perfectam quae sine dubio in animo ejus constaret. Legentibus commisit — quod nihil habebat vitii neque incommodi — ut subaudita membra explerent. — In v. 10-11 post membrum γυναῖκα — χωρισθῆναι sunt explicatio correctioque : ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ... In Pauli mente mihi videtur membrum ἄνδρα — ἀφιέναι secuta fuisse similis explicatio : ἐὰν δὲ καὶ ἀφῇ, μενέτω ἄγαμος ἢ τῇ γυναικὶ καταλλαγήτω. — Pariter in v. 15 propositio καὶ εἰ ἡ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω enuntiatum εἰ δὲ ὁ ἄπιστος χωρίζεται, χωριζέσθω in Pauli mente sequebatur.

Attamen aliquid de his l. notare volumus :

1) 10-11. — V. 11, ut explicari solet, perobscurus est et difficilis. Potest autem aliter meliusque intelligi. Retrudamus primum communem interpretum sententiam ita a *Godet* expressam : « La première partie du v. est une parenthèse ; car la propos. commencée v. 10 s'achève par les derniers mots du v. 11. L'Apôtre prévoit le cas où, malgré sa défense ou plutôt celle du Seigneur, une femme chrétienne aura quitté son mari. » At ego aliter sentio. In v. 11, ut ipse declarat Paulus, non loquitur Paulus, sed Dominus. Initium dicendi facit iterum Paulus modo in v. 12. Inter verba παραγγέλλω οὐκ ἐγὼ ἀλλὰ ὁ κύριος et λέγω ἐγώ, οὐχ ὁ κύριος inclusa verba ἐὰν δὲ καὶ χωρ. — καταλλαγήτω non pro incisa Pauli sententia habenda sunt, sed pro parte Domini jussi. Ceteroquin vox ἐάν cum subj. praes. vel aor., cum sequitur propositio principalis in qua imperat. ponitur, usitata est ad leges scribendas. — « On a envisagé comme inadmissible (addit *Godet*) une pareille violation de la parole du Seigneur .. (Mais) Paul pouvait parfaitement prévoir le cas où, malgré cette défense, une femme, outrée des mauvais traitements dont elle était la victime, se séparerait brus-

quement..... » Non miror equidem praesensisse Dominum (de Domino enim, non de Paulo agitur) violatam prohibitionem fore, miror autem eum, cum hoc provideret, ad noxiam partem se convertisse, scilicet ad conjugem quae divortium susceperit, ut illi posterius jussi dimidium destinaret. Quod dimidium conjugi qui divortii culpam non committit destinare non minus necesse erat. Nunquam, ut ostendunt Jesus in syn. verba, conjugi novum contrahere matrimonium fas est, quamvis sine ejus desiderio impulsuque divortium perpetratum fuerit. Et congruentius videtur praeceptum ad innocentem verti quam ad sontem conjugem. Si quis conjux tam parum Domini observans fuit, ut interdictionem ejus aperte explicatam violaret, minore etiam reverentia secundum colet vetitum et se novis nuptiis conjungi volet. Porro aliter Dominus loqui debuisset. Non potuisset tam placide ac negligenter transgressionem jussi sui considerare, ac quasi minime miram aut offensuram rem ducere : ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, μενέτω ἄγαμος. Quae praecise figura est qua Paulus utitur cum dicit : « Suadeo tibi ne matrimonio conjungaris, utilitatis tuae causa; quod si tamen conjungi velis, liber es, non peccabis. » Dixisset potius Dominus : « Si mulier divortii peccatum commisit, at saltem ne alterum committat multoque majus, scilicet ne ad novas transeat nuptias ! » aut similia. — Vere interpretaberis habens χωρισθῆναι et χωρισθῇ non pro med. sed pro pass. Χωρίζομαι aut vox passiva (cujus verbi act. χωρίζω in N. T. adhibetur) aut med. refractiva. Animadverte v. χωρίζω activ. adhiberi in illis v. synopticorum qui jussum J. C. continent de quo Paulus hic loquitur : quod quasi concursio nova Pauli et Syn. foret. In loco epist. ad Philem (v. 15) quem *Grimm* non citat (quamvis velit contendatque nullum praetermisisse locum, ut asteriscus probat), ἐχωρίσθη in voce passiv. adhibetur.

Jure igitur sensum passivum duobus nostris passiv. damus, dum in v. 15 Paulus (nam in suo nomine loquitur) mod. refractiv. adhibetur. Interpretor itaque : « ... ne semoveatur uxor a (ἀπό) viro (scil. ab (ὑπό) ipso marito); si tamen maritus illam a se sejungit, maneat sine viro aut suo reconcilietur viro; et uxor virum suum non dimittat. » E duobus v. ἄνδρα γυναῖκα enim cum quodlibet pro subj. haberi possit, significatio propositionis praegressae quem eligas ostendit. V. 13ᵇ demonstrat illo ἀφιέναι designari posse rationem agendi qua uxor erga maritum utitur. Ita evanescet anomalia qua nonnulli interpretes offensi sunt : Paulus non incipiet quae τοῖς γεγαμηκόσιν mandat, de mulieribus (1) verbum faciens, ut deinceps ad maritos transeat, dum alias (v. 2, 12, 13, 14, 15), non semper tamen (cf. 4, 16), cum viro incipit desinitque cum muliere. — Supplenda tum propositio post καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι erit : ἐὰν δὲ καὶ ἀφῇ (sc. γυνὴ ἄνδρα), μενέτω (sc. ἀνήρ) ἄγαμος ἢ τῇ γυναικὶ καταλλαγήτω, resp. subaudienda.

2) 15. — Noli vertere ἐν τοῖς τοιούτοις « dans ces circonstances-là » aut « dans de telles choses, dans ce genre d'affaires » (*Godet*). Da potius his verbis sensum similem sensui v. οἱ τοιοῦτοι in v. 28 atque interpretare : « Quod si infidelis vir discedit, discedat! Si infidelis uxor discedit, discedat! Non enim frater aut soror tali uxori (infideli ac χωριζ. cupienti) aut tali viro (infideli ac χωριζ. cupienti) servus aut serva subjicitur. » Illi interpretationi non obstat ἐν (2), ac noli in errorem eo rapi, quod Paulus partem solam sententiae suae exprompsit (scil. τὸ χωριζ. τοῦ ἀπίστου,

(1) Quamvis v. γυναῖκα priorem jussus partem incipiat : « γυναῖκα ἀπὸ ἀνδρὸς μὴ χωρισθῆναι, » haec verba ad maritum pertinent qui uxorem *a se* semovere non debet.

(2) Nonne videtur Paulus voluisse δεδούλωται ἐν τοιούτοις (sc. ἐν τῷ

non τὸ χωριζ. τῆς ἀπίστου. Οἱ τοιοῦτοι v. 15 nihil aliud sunt quam ὁ ἀνὴρ ὁ ἄπιστος (v. 14) καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄπιστος.

Convenit in v. 14 commorari paululum. Auctore *Godet*, voces τέκνα ὑμῶν liberos omnium christianorum parentum designant. Existimo contra (sic *Chrysost.*, *Flatt*, *Bonnet*, *L'Hardy*) de liberis agi modo ex connubiis imparibus natis Τὸ ὑμῶν illos solos designare potest de quibus a v. 12 sermo est, scil. legentes qui cum paganis (judaeisve) matrimonio conjuncti sunt (1). Illos compellat Paulus, illis sua mandata destinat. Cur autem ad christianos cum christianis matrimonio conjunctos se verteret illis dicturus : *vestri* liberi sancti sunt? Sancti sunt, ergo... quid ergo? Illos non magnopere connubia imparia movent, quippe qui paribus connubiis fruantur! — Ceterum voci ὑμᾶς in v. 15, eadem vis, ut ostendam, subjecta est atque v. ὑμῶν. *Godet* quidem in h. l. lectionem ἡμᾶς praefert. Quod autem nullo modo cod. imponitur (*Gebhardt* ὑμᾶς legit), ortum est autem, ut mox exhibeam, ex prava v. 15-17 interpretatione. — Objicit *Godet* opinioni quam defendo : « L'argument eût-il été concluant? Une mère qui aurait douté de la consécration de son mari par le moyen de sa propre foi, eût-elle admis beaucoup plus aisément l'état de consécration de ses enfants au moyen du maintien de cette vie conjugale, de la pureté de laquelle elle se méfiait ? » Facile intelligere potes illam argumentationem dum adversus me non valeat, plurimum contra in *Godet* valere. Adversus me, inquam, non valet. Etenim neutiquam agitur de « l'état de consécration des enfants *au moyen du*

ἀνδρι, ἐν τῇ γυναικί) opponere v. ἡγίασται ἐν τῇ γυναικί, ἡγίασται ἐν τῷ ἀδελφῷ atque, dum scriberet δεδούλ. ἐν τοῖς τοιούτ. jam de δοῦλος Χριστοῦ, de μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων (v. 22-23) cogitasse ?

(1) Quod magis etiam necessarium est *Godet* fateri, qui videt in τοῖς λοιποῖς, v. 12, christianos vel christianas connubiis imparibus utentes.

maintien de la vie conjugale » parentum. Ubi, quaeso, in textu hoc *Godet* vidit? De consecrationis habitu agitur eo effecto, quod hi liberi sive e patre christiano sive e matre christiana *nati sunt* (Consecrationis habitus *a fortiori* exsistit, si pater materque ambo christiani sunt, sed de hoc non sermo est). — Adversus *Godet Godet* argumentum valet. Etenim, si pondus habet, non impedit modo quin in ὑμῶν unice conjuges connubiis imparibus utentes videamus, sed id quoque efficit ut *omnino* illos ex ὑμῶν excludamus. Paulus igitur non *omnes* christianos parentes compellat. Compellat modo christianos parentes connubia paria tenentes. Consequentia revincitur propositum. Idem esset si Paulum diceres epistulam ad Athenienses scripsisse ut Corinthios edoceret.

Ceterum nullus dubito quin fatearis illam interpretationem valde displicere quam Godet de fine v. 14 proponit. Repugnantia dicit egregius interpres. Legimus enim : « La consécration à Dieu des enfants des chrétiens ne dépend pas de leur baptême; mais leur aptitude au baptême résulte de la solidarité de vie qui les unit à leurs parents et, par eux, à l'alliance de grâce fondée en Christ et dans laquelle vivent ceux-ci » (p. 316). Pugnant inter se illa et quae supra legimus : « D'autres, comme M. *Ménégoz*, expliquent l'idée de l'apôtre par celle de la solidarité et de l'unité organique de la famille. Mais cette loi convient-elle aussi au domaine spirituel? » (p. 314.) Quare respudiavit *Godet Ménégoz* mentem, si deinde ipsam eamdemque fere iisdem verbis effingit? Imo colliduntur inter se propositio p. 316 et quod sequitur enuntiatum : « L'affirmation ἅγιά ἐστιν a quelque chose de si ferme, de si précis, que l'on cherche involontairement (?) un fait positif sur lequel on puisse la faire reposer. » Ergo p. 315 sanctitas in baptismate nititur, p. 316 contra baptisma in sanctitate!

Et sane hic textus pedobaptismati neque contrarius est,

ut plerique putant germanici interpretes, neque secundus favensque, ut contendit *Godet*... « Le besoin d'un fait *objectif* extérieur, motivant une telle déclaration, se fait sentir »..... scil. *Godet* (p. 315). Plane « *subjectivum* » desiderium ac « *subjectiva* » necessitas ! Nullum verbum de baptismo textus facit. Profecto pedobaptismus non excluditur : non enim baptizati erant unquam pueri protinus a primo natali die ; semper est temporis spatium plus minus longum per quod sancti sunt quanquam nondum baptizati, argumentatioque Pauli semper valet, cum similitudo inter infantes (non baptizatos) et conjuges paganos (non baptizatos) constet. Profecto autem pedobaptisma in h. v. non continetur : « Paul veut dire que leur baptême a été le signe et la preuve de fait de leur état de sainteté » (p. 316). Molestum est quod Paulus admodum nihil de illis dicit quae dicere vult : quae *Godet* solus dicit. Verumtamen exegesis in hoc non ponitur ut sacris scriptoris tribuamus quae laetaremur si dixissent. Ex illo l. logica dicendi ratio vetat quominus nihil sive adversus sive secundum pedobaptisma conficiamus. Si quia baptizati sunt pueri, ideo sancti sunt vel ideo pro sanctis haberi possunt, vacat sensu ratiocinatio Pauli. Fac baptisma sive « principe » sive « preuve de fait » sanctitatis esse, habent tamen conjuges pagani neque hoc « principe » neque hanc « preuve de fait, » atque claudicat argumentatio irremisse insanabilis. Num autem dicet quispiam liberos, quia sancti, baptizari ? Lite litem resolvet, probatumque finget quod est demonstrandum, scil. fuisse tum pedobaptismum.

Doleo interpretationem quam *Godet* de v. 15-17 expromit accipere non posse. Interpretatur : « Necesse est vos discedere, nam unde scis, mulier, si virum salvum facies ?... » Affingit Paulo *Godet* ratiocinationem exilem atque ad probandum infirmam. Non valde hoc loco urgeri

potuisse Corinthios puto, qui respondere potuissent : « Ita prorsus, nescio an illum vel illam salvum salvamve faciem; at tandem nescio quoque an salvum salvamve *non* faciem; quod si contra discedo, certo scio me illum illamve salvam salvumve non facturum facturamve. Ergo manebo, non discedam. » Ceteroquin vana illa est argumentatio quam *Godet* Paulo dedit, sed stolidior etiam et hebetior illa est sententia quam apostolus, auctore *Godet*, refellere voluit. Absurdorum absurdam sententiam absurdus Paulus absurde refellit. *Godet* Corinthiis vel ineptas agendi rationes vel saltem insulsa consilia tribuit. Num cogitatione fingere possis uxorem christianam cursim maritum persequentem, atque illum praesentia vexare perseverantem, quamvis ille cum ea societatem inire nolit? Et Paulo opus fuisset plurimis, ut fit, verbis vituperare illam agendi rationem? Sed etiamsi adeo stultae fuissent christianorum mulieres ut ita se gererent, num poterant, cum mariti discedere vellent, eos cogere ut manerent? Hoc non solum absurdum fuisset, sed etiam omnino fieri non potuisset (1). — Ceteroquin *Godet* in interpretatione v. χωρίζ. nititur quae mihi probabilis parum videtur. In verbis J.-C. quae nobis Syn. tradiderunt, act. χωρίζειν de divortio adhibetur, itemque in v. 10-11 epistulae nostrae, in quibus passiv. χωρίζ. usurpatur perinde ac si idem valeret atque passiv. verb. ἀφιέναι. In l. in quo passiv.

(1) Ipse *Godet* non potest quin fateatur. Asserit etiam conjugem christianum, cum a non-christiano desereretur, perseverare non posse se intrudere, Paulumque talem agendi rationem non postulare, nam « ce serait exiger du chrétien, en vue d'un résultat très problématique et rendu presque impossible par le refus de cohabitation de l'époux païen, un sacrifice tout à fait disproportionné » (p. 321). Ergo quod nimium est adsurdum ut a Paulo praescriptum fuerit, invenitur adeo sapiens sanumque ut Corinthii ipsi fecerint aut facere sponte sua voluerint, fueritque necesse Paulum eos multis verbis deterrere!

ad ***divortium*** pertinet, med. non potest ad ***desertionem malitiosam*** spectare, ut vult *Godet*, sed contra ad divortium quoque spectat, et haec notio huic voci subjecta est : divortio discedere (1). Etenim cum v. 14 parenthesin constituat, liquet τὸ εἰ δέ v. 15 τοῖς εἰ v. 12 et 13 opponi. Igitur in 12-13 et 15 eamdem symmetriam reperimus eamdemque synonymiam verborum χωρίζ. et ἀφιέναι. — Ergo repudio jam scripto, Corinthii tamen se intrudere perseverare vellent. Crescit insulsitas. — Non verum est dicere : « L'époux chrétien doit consentir, dans ce cas, à une séparation à laquelle il ne pourrait se refuser qu'en allant au-devant d'incessants conflits. » Nam discidium de quo agitur divortium est, ac christianus nunquam divortium probare debet, sed pati modo cum vitari non potest. ***Beet*** assentitur *Godet* vertenti δὲ (ἐν δὲ εἰρήνῃ) *imo*, *quin etiam* : quo gradatio impetratur. « Non solum subjecti non estis... sed, imo vero, officium vestrum est... » — Sed quid officium? officium divortii tolerandi, cum tolerare coguntur? Mirum quidem officium, quod vulgo necessitatem nominant. Aut officium forte divortium ineundi? quod est dicere contra Domini jussa. — Pro *Godet* explicatione non facit τὸ εἰ μή. Illa primum argumentis confirmari deberet, ut ad verborum εἰ μή interpretationem accedere quoque possimus. In N. T. nusquam locus reperitur in quo usum τοῦ εἰ μή revera similem illi qui hic proponitur, deprehendam (locus quem *Grimm* affert Marc., VI, 5 non plane nostro par est).

Ni fallor, intercludenda verba εἰ δὲ ὁ ἄπιστος — ἐν τοῖς τοιού-

(1) Majorem vim etiam Godet illi argumento tribuere debet, quippe qui existimet in v. 10-11 *pass.* χωρισθῆναι et χωρισθῇ significatione *med.* frui et tanquam *med.* adhiberi. In his v. autem, v. χωρίζ. et ἀφιέναι cognominata sunt. Ergo cum χωρίζ. in v. 15 *med.* sit, ibi quoque cum ἀφιέναι cognominatum est.

τοις. Seq. δέ Paulus ad praecipuam sententiam revertitur (ἐν δὲ εἰρήνῃ). De quo particulae δέ usu jam sermo fuit. « Deus vos in pace vocavit, » dicit Paulus Christianis conjugibus qui connubiis imparibus conjunguntur. Sensus vero horum v. sensu definitur verb. quae in v. 18 similiter leguntur : ἐν ἀκροβυστίᾳ κέκληταί. Quemadmodum alii in servitute, alii in circumcisione vocantur, conjuges in conjugali vita placida vocantur. In v. 17 Paulus eos suadet ut in illa vita maneant (ὡς κέκληκεν... περιπατείτω). Duo dissimiles sensus verbo κέκληκεν, cum in locis tam proximis usurpetur atque media in explicatione in qua ἡ κλῆσις primas partes agat, tribui nequeunt.

Haec interpractatio sola v. 16-17 exemplis confirmari posset nullamque ex εἰ μή ductam controversiam excitaret : Subdistinctio (,) inter σώσεις et εἰ μή reponenda ; nota autem interrogationis (;) post περιπατείτω restituenda. « Unde scis, mulier, si virum salvum facies, aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies, nisi tu, mulier, cum viro ac tu, vir, cum uxore conjuncti maneatis? » Imper. περιπατείτω constituit ἀνακόλουθον (Cf. I, 31 ; III, 21). Non objicienda essent verba καὶ οὕτως... διατάσσ. Nam referenda ad sequentia esse possent. « Et isto modo in omnibus ecclesiis doceo : Circumcisus aliquis vocatus est? etc... » Incommodum est quod illi interpretationi objici possunt quae *Godet* interpretationi exprobravimus. Num Corinthi mariti erant adeo stulti, ut illis in mentem veniret, se cum nuptias dirimerent, facultatem uxores salvas faciendi comparare? Paulus non scripsit εἰ ἡ γυνή σου σωθήσεται, εἰ ὁ ἀνήρ σου σωθήσεται, sed εἰ σώσεις. Cum duo conjuges matrimonium solvunt, nemo est qui non sentiat unumquemque eorum copiam amittere animum alterius urgendi sollicitandique atque illum salvum faciendi. Num cogitatione fingi potest uxor quae secum dicat : « divortium faciam ut apud maritum auctori-

tatem majorem habeam salutemque ejus melius efficere possim? » — Si Paulus talem insulsitatem (1) apud Corinthios valere opinatus fuisset, dicere potuisset : « Num forte maritum tuum salvum facies, si ab illo discedis? » Ita hujus agendi rationis illuminasset errorem. Sed non dixisset, absurdae sententiae refutationem absurdiorem etiam opponens : « Unde scis si virum salvum facere poteris ab eo discedendo? » In qua interrogatione nulla ironiae species deprehendenda.

Una est interpretatio quae Paulo sanam argumentationem conferat : postquam, ut supra diximus, v. 15 Paulus scripsit, pergit : Talis est igitur vestra κλῆσις (2) : vita conjugalis communis ac tranquilla. Quare? « quia... unde scitis si vestros conjuges salvos non facietis? » *Godet*, quamvis illam translationem rejiciat, fatetur tamen ab *Edwards* argumentis fuisse confirmatum, posse sic v. verti, ac quidem *Edwards* demonstrationem complet. « Quae cum ita sint, hoc si nescitis, persequitur Paulus, si vobis quae facultas datur vitam cum conjugibus viventibus illos salvos facere, officium vestrum est cum illis manere. » Subdistinctionem inter voces εἰ μή et ἑκάστῳ pone ac subaudi

(1) Quae insulsitas noxia quoque foret. Nunquam, ne bono quidem animo aut utilitatis causa, permittitur divortium.

(2) Hoc vocabulum ut *Godet* interpretor qui optime ostendit, argumentatione peracuta, in voce κλῆσις quae *nunquam* « vocation terrestre (*irdischer Beruf*) » significat, ... *interdum* tamen illum sensum inesse : « Le mot κλῆσις ne peut désigner l'état terrestre, la profession; il s'applique ici, comme ailleurs, à l'appel au salut... Seulement il faut faire rentrer dans l'idée de l'appel toutes les circonstances extérieures qui en ont fourni l'occasion et déterminé le mode. Quelle différence entre le mode d'appel d'un circoncis et celui d'un incirconcis! Or cette situation terrestre, donnée de Dieu, il ne faut pas en sortir de son chef. Ce qui a été pour toi le moyen de l'appel ne manquera pas de servir à exercer ta fidélité » (p. 326).

non σώσεις, ut proposuit *Rückert,* sed οἶδας. Nullum profecto exemplum similis vocis εἰ μή usus afferri, quod sciam, potest. *Godet* autem illosque quos sequitur minime decet illud exprobrare, cum eorum interpretatio in eadem causa sit ac mea, quae ceterum grammaticam neutiquam temerat : nam ellipsis modo admittenda. Tota periodus fuisset : εἰ μὴ οἶδας, ἄνερ, εἰ τὴν γυναῖκα σώσεις, καὶ εἰ μὴ οἶδας, γύναι, εἰ τὸν ἄνδρα σώσεις, ἑκάστῳ ὡς... Copia verborum quae suppleri et iterari debuissent, causa fuit cur haec verba omissa fuerint. Neque, si ellipsis quaedam proponatur, jure expostulari potest ut afferantur quoque exempla omnino talis ellipsis similia.

IV° — 18-24. — *Digressio in qua circumcisioni ac servituti accommodatur sententia communis : unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

Nunc ad v. 21 venio qui controversias multas suscitavit. Interpretes omnes, quod sciam, in duas partes discessere : sunt qui contendant Paulum servos suasisse, ut libertatem, si possent, festinanter recuperarent; sunt contra qui asseverent Paulum illos dehortatum esse servitutem exuere. Quarum duarum interpretationum neutra, me judice, accipi potest. Hi Paulo doctrinam tribuunt quam sine dubio servos apostolus non edocuit. Illi autem Paulo praeceptum affingunt quod liquido contextui contradicit. Ne fusius de illa uberrima materia dicam, approbatoribus cujusque sententiae curam relinquam alterius fautores confutare : quod feliciter omnibus evenit; illorum refutationes refutari nequeunt. Satis erit interpretationem proponere novam pariter et veram, ut opinor.

Priusquam exegesin aggredior, notabo, verbis membrorumque compositione modo obiter perspectis, dilucere lo-

cum 22-24 in duo fragmenta discedere, 20-22ª scilicet et 22ᵇ-24, ita ut omnia omnibus paribus paria respondeant. In ὁμοίως latet separationis punctum ac quasi sutura. Cum in 20-22ª sermo sit de illis qui *servi* vocati sunt, in 22ᵇ-24 de illis qui *liberi* sunt vocati sermo est. Duorum fragmentorum ordo *praeposterus* est. Enuntiata v. 20 et 24 eadem sunt, et totum inter illa inclusum locum quasi gubernant. *Symmetria* hanc sententiae iterationem explicat quae, ni ita se res haberet, bis exprimi non debebat. *Praepostera symmetria* explicat quare e duobus illis propositionibus (20 et 24) una fragmentum 20-22ª *incipiat*, *concludat* contra fragmentum 22ᵇ-24 altera. Pro eadem *praepostera symmetria*, *ultima* fragmenti 20-22ª propositio propositioni fragmenti 22ᵇ-24 *primae* respondet, nempe 22ª et 22ᵇ sibi invicem respondent :

22ª	22ᵇ
κληθεὶς δοῦλος.	ἐλεύθερος κληθείς
ἀπελεύθερος κυρίου.	δοῦλος Χριστοῦ

Conjici potest sibi invicem 21 et 23 respondere : hoc exegesis argumentis confirmabit.

Primum accedamus ad fragmentum : 20-22ª. E duobus quae dantur de v. 21ᵇ interpretationibus, unaquaque ex parte veritatem continet. Una bene εἰ καί vertit, altera sensum v. μᾶλλον χρῆσαι discernit (quamvis non omnino videat neque grammaticae plane satisfaciat). Duabus his interpretationis partibus conjunctis, veritatem invenies.

Quod ad εἰ καί attinet, praeclare *Godet* asserit a *Passow* demonstrari voces εἰ καί posse *si tamen* verti : ipsius *Passow* verba perpendant increduli (t. II, p. 1510). Nec forte difficillimum foret ostendere nonnullos N. T. locos qui plerumque afferuntur tanquam *quamvis* aut *etiamsi* significantes, non solum pati, sed etiam expostulare significationem *si tamen*. Certo certius errant qui translationem verb. εἰ καί

semper esse volunt *quamvis* aut *etiamsi*: licet hodie hoc pro demonstrato habere. — In v. 21 autem non punctum temporis dubito quin sensum *si tamen* accipiam.

Quod ad μᾶλλον χρῆσαι attinet, nemini qui attente perlegerit textum, satisfaciet subaudire τῷ δύνασθαι, aut ἐλευθερίᾳ, aut δουλείᾳ. Vox κλήσει sola potest debetque suppleri : non est cum mireris Paulum illam vocem omisisse, quandoquidem jam *expressa* sonaret; ellipsis contra durissima ac vix toleranda, cum de verbis agitur quae in textu non leguntur aut de infinitivo δύνασθαι. Imo facile vox κλήσει omitti poterat, cum in eo loco praecipue de illa κλήσει Paulus loqueretur. Adde versus 21-23 versibus 20 et 24 in sententia illius κλήσεως, ut ita dicam, inclusos esse. Participium κληθείς in v. 22 illam verbo χρῆσαι figuram esse postulat (1). Necesse est quoque illam figuram verbis μή σοι μελέτω (κλήσεως) dari. Grammatice nulla est legitima alia via subaudita supplendi.

Interpretor igitur : « Servus vocatus es ? κλῆσις illa non sit tibi curae (2); sed si (3) servus qui servus (civilis) manet, potest tamen liber (spiritualis) fieri, utere tua κλήσει potius quam illa tibi curae sit. Quod autem servus qui servus (civilis) manet, liber (spiritualis) tamen fieri potest, certum

(1) Quod vidit jam *Rossignol*, professor in Galliae Collegio (Cf. *Saint Paul et l'esclavage*, par J.-A. Monod. Toulouse, 1866, p. 22), qui tamen modo ex illo in v. 22 κληθείς pro sua nostraque interpretatione v. χρῆσαι argumentum ducit. Optimum sane, sed non unicum argumentum, me judice.

(2) « μέλει = es ist mir ein Gegenstand der Sorge, der Fürsorge, der Bekümmerniss, der Theilnahme..... es kümmert mich, liegt mir am Herzen, u. s. w. »

(3) Aut *quandoquidem*. Nam εἰ mihi hic illum habere sensum videtur quem sic explicat *Grimm* : non raro, ubi ex re quadam certissima aliquid concluditur, εἰ c. indicat., ut nostr. wenn, syllogistice ita ponitur, ut *sensu* exaequet vim particulae ἐπεί.

est. Nam qui servus (civilis) vocatus est in (1) Domino, libertus (spiritualis) est Domini. »

In illo fragmento inter *servitutem civilem* et *spiritualem libertatem* oppositio constat. Nunc integerrimam, in posteriore fragmento, videbimus symmetriam, id est oppositionem quae inter *libertatem civilem* constat et *spiritualem servitutem.*

Alterum fragmentum : 22^b-24 :

« Similiter qui liber (civilis) vocatus est, servus (spiritualis) est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri servi (civiles) hominum, i. e. vestram ne mutetis κλῆσιν, liberi (civiles) manete. »

Itaque hinc ille qui servus (civilis) est, de sua civili conditione angi non debet, in ea igitur manere contra. Nam si servus (civilis) est, libertus (spiritualis) quoque est (20-22^a).

Illinc is qui liber (civilis) est, conditionem suam civilem mutare non debet. Nam si liber (civilis) est, servus (spiritualis) est (22^b-24).

Optime sibi invicem v. 21 et 23 respondent. Necessse est tamen novas explicationes addamus.

Animadvertendum est Paulum modo obiter communem sententiam ad res singulares accommodare de quibus non praecipue sermonem fecit. Hanc communem sententiam commemorans, nihil aliud voluit quam illam matrimonio accommodare. Servitus et libertas, sicut circumcisio et incircumcisio, exempli causa tantum afferuntur. At Paulo consilium non est de his directo atque absolute disserendi. De matrimonio disputat et de illis quae ad matrimonium spectant. Itaque mirandum non est, si Paulus servitutis

(1) Aut potius a Domino. « ἐν c. dat. personae, i. q. adjutus ab aliquo, interventu, opera alicujus, per aliquem. » (*Grimm.*)

quaestionem non prorsus agitaverit, neglexeritque tempus exceptionibus tribuere, ut de matrimonio fecit.

Super fragmento 20-22, rogare potuisset quispiam : sed si servo non licet conari libertatem sibi ipsi comparare, num illam, si ei proponitur, respuere debet ? Quam quaestionem interpretes immerito putaverunt Paulum agitasse. Si reipsa agitavisset, nullus dubito quin servo manumissionem permisisset. Sed aliter locutus fuisset quam volunt illum locutum esse. Permisisset scilicet aut concessisset (Cf. 9, 15, 28, 36), non praecepisset ac fere jussisset (ἀλλὰ — μᾶλλον χρῆσαι) — (quasi necesse esset talia jubere !) — atque verbis quae expresse sententiae ab illo explicatae contradicant (1). Me judice, illam quaestionem Paulus nec pensitavit nec igitur solvit.

Pariter super μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων, interrogari potuisset apostolus. — Sed priusquam dicimus quae rogari potuissent, refert verborum significationem indicare.

E manifesta duorum loci 20-24 partium symmetria, apparet in his verbis Paulum jubere liberos (civiliter) illam libertatem civilem non abalienare.

Horum verborum multae sunt interpretationes, quas omnes confutare nobis in animo non est. In *Chrysost.* aut *Rückert* et *Hofmann* sententia ne commoremur, refellamus modo illam *Michaelis* et *Heydenreich* : voluerit Paulus liberos Corinthios deterrere quominus se sub corona venumdarent pro utilitate Christi. Praeter indicatas a *Godet* objectiones, nonne vides illam sententiam sensui contextus a me definito contrariam esse ? Nisi supra erravi, errant hic illi. Explicatio *Meyer* quam sequitur *Godet,* mihi parum accipienda

(1) Ceterum multis aliis causis haec opinio rejicienda est, ut vidisti ex praegressa expositione ac videre potes argumentationem illorum perlegendo qui adversus hanc sententiam depugnant.

videtur : cum Corinthi multi essent turbulenti cives qui suaderent ut civilem Corinthii conditionem mutarent (scil. servilem), Paulus adversus ecclesiae obedientiam depugnare voluerit. Sed v. δοῦλοι significatio datur quae a duobus praegressis significationibus distat et non solum contextu non indicatur, sed etiam ab illo plane aliena est (non dicitur a *Meyer* ceterum si (ac quomodo) christiani liberi conditionem civilem mutarent). « *Meyer* observe avec raison, » pergit *Godet*, « que si l'on ne suppose pas une tendance semblable, toute cette digression (v. 17-24) manque de base. » Errat equidem. Nam in solidissimo fundamento nititur digressio, id est in sententia v. 20 et 24, et si Paulus illam digressionem suscepit, non aliud voluit quam roborare, confirmare et enucleare simul communem sententiam quam connubiis accommodare cupit. « Peut-être était-ce surtout au sujet des questions concernant l'esclavage et la liberté que ces hommes-là prétendaient imposer leurs opinions aux autres membres de l'Eglise » concludit *Godet :* mera conjectura nullo verbo quidem cap. VII confirmata.

Vera τοῦ μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων significatio haec est quam commonstravi, ac his verbis a *Marquardt* explicatur : « Endlich konnten durch ein rechtliches Verfahren freie Leute in Knechtschaft gerathen. In Rom selbst kam dies bekanntlich vor bei dem Sohne, den sein eigener Vater verkaufte, bei dem nexus, der am dritten Markttage sich nicht löste, bei demjenigen, welcher sich dem Census oder dem Kriegsdienste entzog, oder sich, um den Käufer zu betrügen, als Sclaven hatte verkaufen lassen; allein wir können diese Fälle hier übergehen, da sie theils der älteren Zeit angehören, theils einen Verkauf in das Ausland zur Folge hatten und dem römischen Sclaventhume keine neue Quelle eröffneten. In der Provinzen dagegen hatten die entsetzlichen Bedrückungen, welche die Publicani und

Negotiatores ausübten, bei dem geltenden Schuldrechte die unausbleibliche Folge, dass der Schuldner, nachdem er alle seine Habe geopfert, Weib und Kind und zuletzt sich selbst als Sclave verkaufen liess. Die Deutschen hatten die besondere Leidenschaft um ihre Freiheit zu würfeln, und der Verlierende wurde auf den Markt gebracht; aber in den Provinzen stieg die Noth zeitweise in dem Grade, dass man sich freiwillig in die Sclaverei begab, um nur sein Leben zu fristen. — Dies erzählt z. B. von einer Hungersnoth in Gallien im 6 Jahrhundert p. Chr. Gregor. Turon.; aber dergleichen Fälle werden auch früher vorgekommen sein (1). »

Ecce autem quae mora Paulo fieri potuisset : si talis sit hominis cujusdam liberi conditio, ut illi certe pereundum sit, nisi se sub corona venumdet, num potius mori debebit quam se servum venumdare? Hic iterum nullus dubito quin Paulus, si voluisset quaestionem illam ad exitum adducere, noluisset Christianos adeo legibus obsequi in v. 20 et 24 scriptis, ut quis mortem sibi conscisceret (Cf. v. 9. et 36).

Symmetria igitur duorum fragmentorum perfecta est cum in dictis, tum in omissis.

V° — 25-38. — *Num juvenes virginesque cœlibem vitam tenere debent?*

Ex illo titulo existimabis forte me cum *Bengel* παρθένος tam adolescentibus quam virginibus accommodare. Longe tamen mihi alia mens, qui illud fieri non posse existimo. Testimonia quae afferri possent (2) aut rariora atque incertiora

(1) *Handbuch der Römisch. Alterth.*, VII Bd. I Th. S. 167.

(2) Cf. exempli causa Suid. : « παρὰ δὲ Γοργίᾳ παρθένος ἐπὶ παντὸς ἀμετόχου τέτακται. » De quo Stephanus (in lexic.) controversiam facit.

6

sunt, aut nimis multo post saeculum apostolicum scripta. In toto loco Paulus modo ἡ παρθένος, nusquam ὁ παρθένος adhibet. — Liquet tamen in v. 27, 28, 29 apostolum juvenes compellare. Symmetriaque ostendit idem in v. 32 fieri, in quo ὁ ἄγαμος vocibus ἡ παρθένος, ἡ ἄγαμος respondet. In v. 8 jam de ἄγαμ. Paulus locutus est, sed (illud enim ex eo conficitur quod ἄγαμ. et χηρ. apponuntur), de coelibibus natu majoribus cogitavit; hic contra de adolescentibus cogitat : nulla est igitur iteratio. — Quae cum ita sint, si de adolescentibus loquitur, quomodo v. 5 verbis περὶ τῶν παρθένων, scil. *de virginibus* incipere potest? Nonne pravus est titulus, quandoquidem de adolescentibus quoque sermo futurus sit? An *Godet* interpretatio sequenda est asseverantis : « si Paul dit un mot des jeunes hommes, ce n'est qu'en passant et pour montrer qu'au fond, il ne met pas de différence, dans ce qu'il dit ici, entre les deux sexes? » Minime quidem. Hic est verisimiliter genuinus tituli sensus : Paulus nunquam virgines ipsas, directo, compellat, sed semper de illis loquitur. Nunc ad illos orationem convertit qui virgines ducunt uxores (sc. maritos), nunc ad illos qui virgines in matrimonium dant (sc. patres), nusquam ad ipsas virgines. In his etiam verbis in quibus neque patres neque maritos (v. 28αα, 34) compellat, pergit tamen de virginibus loqui, illas autem non alloqui. Minime igitur pravus titulus est, quo tamen non cogimur dicere de virginibus modo aut praesertim sermonem futurum (Civilis virginum conditio causa forte est cur illas non compellet). Sententia quam *Godet* defendere conatur, defendi nimirum tam bene potest quam illorum opinio qui contenderent Paulum, dum VIII, 1 cum περὶ τῶν εἰδωλοθύτων inciperet, modo aut praesertim de hostiis sermonem facere voluisse, non autem de Christianis qui illas comederent, aut saltem, tantum obiter, nescio quo casu, christianos commemorasse.

Sudavere satis commentatores in v. 26 interpretando. *De Wette* explicatio quam sequitur *Godet*, aliis explicationibus duris non est praeferenda. Etenim nec v. τοῦτο nec v. οὕτως virginitatis habitum designare possunt. Ad sententiam quam in παρθένων latere dicitur illa v. referre non licet (eo minus quod παρθένων modo ad femininum sexum pertinet, dum in v. 26-27 de virili sexu agitur). Restatque semper quod frigida, impedita, tortuosa periodus est. Repone, quaeso, punctum aut punctum summum post ἀνάγκην. « Existimo ergo hoc (quid? quod in eo est ut dicat) bonum esse propter instantem necessitatem : cum (1) bonum sit homini sic esse (quomodo? in conditione scil. in qua versatur — v. 20, 24), alligatus es ad uxorem? noli quaerere solutionem etc... » Praestiterit fortasse punctum post ὑπάρχειν exarare ac scribere : νομίζω — ὑπάρχειν. Διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, ὅτι καλὸν — εἶναι, δέδεσαι... — Si v. 40 : ἐὰν οὕτως μείνῃ confers, conjicere possis Paulum οὕτως μεῖναι dedisse in nostro v. 26. Infrequentia hujus infin. causa fuerit cur littera μ omissa fuerit. Attamen haec correctio nihil necessarii habet. — Reipsa ut ego, sic *Godet* τὸ οὕτως interpretatur. « Le *être ainsi* désigne l'état dans lequel l'homme se trouve naturellement. » Quae interpretatio significationi vocis οὕτως in fere omnibus ejus cap. locis in quibus adhibetur (v. 17, 36 (vide quae ad h. l. dicimus), 40) convenit.

V. 29 multae sunt variae lectiones. Quibus perspectis conemur veram Pauli manum reperire :

ℵ A B P	ἀδελφοί, ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστὶ τὸ λοιπὸν ἵνα
K L	ἀδελφοί, ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν ἵνα
D	ἀδελφοί, ὅτι ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστὶ τὸ λοιπὸν ἵνα
E	ἀδελφοί, ὅτι ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν ἵνα

(1) τὸ ὅτι in protasi reperitur tali cum significatione in Joh., I, 51; XX, 29. — 1 Cor., X, 17.

F G It ἀδελφοί, ὅτι ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστὶ λοιπόν ἐστιν ἵνα.

Me judice, Paulus dederat :

Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοί · ὅτι ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν, ἵνα καί...

« Hoc dico, fratres : quandoquidem breve sit abhinc quod restat tempus, sint qui habent uxores tanquam non habentes etc... » V. τοῦτο explicationem propositionis διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, ὅτι... nuntiat. Non mirum est igitur compositionem verborum in v. 29 verborum in v. 26 compositionem imitari, ac rursus iterum idem v. ὅτι (= quandoquidem) in protasi inveniri. Cum ejus compositionis infrequentia in errorem librarios rapuit, tum vox ἵνα quam falso sive ad φημί retulerunt sive ad συνεσταλμένος ἐστίν (quod omni sensu vacat; nam profecto non *ut* qui habent uxores tanquam non habentes sint etc... *ideo* breve est tempus, sed *quia* breve est tempus, idcirco qui habent etc... Cf. διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην). — Ut intelligatur quomodo textus restitutus varias lectiones pepererit, suffecerit animadvertere v. ὅτι et ἐστι saepe confusa esse : observa, quaeso, in variis lectionibus litteram ν ἐφελκυστικόν, ut aiunt Graeci, verbo ἐστί deesse quotiescumque ἐστί ante litteram consonantem legitur, quod in N. T. neque semper neque plurimum evenit, in quo plerumque etiam ante consonantes scribitur τὸ ν ἐφελκυστικόν. Nonne ex eo efficitur ut v. ἐστί nihil aliud sit ac v. ὅτι corruptum maleque in textum insertum? Posterius additum fuerit ν ἐφελκ., postquam ὅτι factum ἐστί vocalem quamdam tangeret? Addamus τό interdum in cod. cum nota lacunae indicatae aut explendae confundi. — Quibus positis, apparet vocem ὅτι, a librariis omissam atque in margine adscriptam, restitutam fuisse

a) semel, sed male (modo ante, modo post τὸ λοιπόν) scriptamque ἐστί (sic K L et ℵ A B P);

b) bis, primum bene scriptamque ὅτι, dein male (modo

ante, modo post τὸ λοιπόν) scriptamque ἐστί (sic E et D);

c) ter, primum bene scriptamque ὅτι, dein male (post τὸ λοιπόν) scriptamque ἐστί, denique ante λοιπόν pro articulo τό in quo notam lacunae deprehendere censuerunt (sic F G It). — Ille textus a textu cujus exemplum in E reperimus ortus est, supposita articulo τό voce ἐστί. Quae corruptio forsitan e dittographia nata est : nemo est enim qui non videat quomodo συνεσταλμένος οσ το λοιπόν fieri συνεσταλμένος ἐστὶ λοιπόν potest.

Similiter variis v. 30-31 (1) lectionibus perspectis, adducimur ut conjiciamus Paulum hic scripsisse : καὶ οἱ ἀγοράζοντες ὡς μὴ ἀγοράζοντες, καὶ οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ ὡς μὴ χρώμενοι. Alterum v. ἀγοράζοντες evanuit, sive culpa scribae qui omissionem neque emendavit neque forsitan sensit, sive tabe quadam in h. l. cod. E duobus ἔχοντες in v. 9 unum omissum in margine adscriptum fuit, mox bis insertum : primum bene, dein male (infra dicemus ubi). Nonnulli cod. vocem τούτῳ (aut τοῦτον) post κόσμῳ (aut κόσμον) ponunt, quam omittunt alii : illa vox, quae κατά (τ = κ, ου = α, ω = α — *Bast*) legi poterat, cum ἔχοντες a scriba juncta (ut lacunam impleret omissione part. ἀγοράζοντες effectam) part. κατέχοντες (2) dedit. Idem τούτῳ, similiter κατά lectum, ante alterum χρώμενοι restitutum fuit, quod καταχρώμενοι factum est. Denique restitutum fuit τούτῳ :

a) in nonnullis cod. bis : primum post ὡς μή, scriptumque κατ(έχοντες), dein ante alterum χρώμενοι, scriptumque κατα(χρώμενοι) (sic ℵ A B).

b) in aliis cod. ter : primum post κόσμῳ bene et insertum et scriptum, sed dein post ὡς μή, denique ante alterum χρώμενοι (sic E K L P).

(1) In sua translatione oblitus est *Godet* verborum καὶ οἱ ἀγοράζοντες ὡς μὴ κατέχοντες.

(2) Fortasse 2 Cor., VI, 10 animum librarii praeoccupaverat.

Lectio aliorum cod. (D F G) τὸν κόσμον τοῦτον videtur posterior correctio esse, quam alterum χρώμενοι factum καταχρώμενοι pepererit: accus. enim modo in seriore graecitate tantumque cum composito καταχρῆσθαι occurrit (*Godet*). — Proprium hoc est hujus loci, ut semper posteriore participio prius non mutatum participium exprimatur. Ceteroquin, dum participium κατέχοντες in locum part. ἀγοράζοντες amissi sufficerent, tribuere scribae Paulo ineptias : perspicuum est enim illos qui emunt, esse tanquam non possidentes quod emunt, sin aliter non emerent! Attamen solus ille sensus ex T. R. extrahi potest (1), quem symmetria participialium ceterarum propositionum 30-31 profecto necessarium facit.

V. 32 sq. quid sunt, nisi aenigma? Miror quod *Godet* hoc non viderit. Repugnantia Paulus dicit : « Volo vos sine sollicitudine esse, ἀμερίμνους » inquit : quo dicto, festinat ostendere necesse semper esse μεριμνᾶν, cum modo μεριμνᾶν τὰ τοῦ κυρίου, modo μεριμνᾶν τὰ τοῦ κόσμου imponitur. — Ceterum pro vicinitate v. 32ᵃ et 32ᵇ fieri non potest ut cum ***Meyer*** sensum v. ἀμερίμνους circumscribas atque vocabulum illud demum ad illas curas referas ad hunc mundum pertinentes. — Duo verba omissa sic restituam παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου· < οὐ > θέλω δὲ ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι· ὁ < γὰρ > ἄγαμος... Mendorum originem dilucide apparet. Post τούτου, facile omissum fuit οὐ. Et pro ογαραγαμος scribae scripserunt ογαμος, et postea ὁ ἄγαμος (ceterum γ = ρ — *Vollgraff*).

Declaravit apostolus ob instantem parousiam illos qui uxores haberent esse debere tanquam non habentes etc... ac se ita loqui ut illos contra tribulationes carnis defendat. Pergit : non quod velim vos omnino sine sollicitudine esse; non quod nihil aliud curem quam ut vitam in hoc

(1) Part. ἀγοράζοντες non *aor.* quidem, sed *praesens* est!

mundo tranquillam et facilem degatis. Sed sollicitudines sunt et sollicitudines. Sunt quae ad hunc mundum pertineant, sunt autem quae ad Dei regnum spectent. Ad illas ultimas vosmet servetis volo.

Exspectaveram in v. 34 sententiam quam hic verbis elocutus sum : sollicitudines sunt et sollicitudines. Is versus varie in cod. scribitur. Suspicor : καὶ μεμέρισται ἡ μέριμνα. Καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τά... Verba ἡ ἄγαμος in cod. modo ante modo post ἡ παρθένος leguntur. Versimiliter igitur scholium constituunt, cujus ὁ ἄγαμος in v. 32 causa fuit. In v. 32 autem Paulus ὁ ἄγαμος usurpavit (1), quia usum masc. v. παρθένος nesciebat, dum in 25-38, quotiescumque de virgine loquitur, eam παρθένος nuncupat nullamque rationem habet cur non nuncupet eam παρθένος. — Similiter si lector quidam de verb. ἡ παρθένος in margine scripsit ἡ ἄγαμος, alius vel idem lector in margine ἡ γυνή addidit de ἡ γαμήσασα, quod novum scholium cum ἡ ἄγαμος coaluit. — Μέριμνα contra cum similis esset verbo μεμέρισται ac repeteretur in v. 32-34 v. μεριμνᾷ, omitti potuit. Ἡ post μεμέρισται (αι = η, ι = η) evanuit, aut καί peperit (η et καί confusa — *Bast*) : unde ortae sunt lectiones cod. quorum sunt qui legant, sunt qui omittant καί. — Verto igitur : « Et sollicitudo diversa est, dividitur (2). Alia est sollicitudo quae ad hunc mundum pertinet, alia sollicitudo quae ad regnum Dei spectat. » Joco quodam uti voluit Paulus, cum verbo μεμέρισ-

(1) Errat *Godet* qui contendit « le terme ἄγαμος comprend ici, comme v. 8, les célibataires et les veufs. » Num forte voces ἡ ἄγαμος quas in v. 34 tuetur, viduas atque jam aetate provectiores innuptas designant?

(2) Cf. *Passow*. — Quae propositio, cum inter verba ad adolescentes spectantia ac verba ad virgines pertinentia ponatur, necesse non erat iterum enuntiaretur. Ad praegressa simul et ad sequentia, id est ad unam alteramque μέριμνα refertur.

ται nomen μέριμνα admovit. Nomen μέριμνα a μερίς, μερίζω trahitur. — Sensus ille *Godet* sensum superat : « mulier nupta *quoque divisa est.* » Sed nusquam dicitur virum matrimonio conjunctum divisum esse. Asseverat *Godet* commorari in v. 33 scriptorem in illa ejusdem personae divisione in sollicitudines contrarias : quod ubi vidit ? Profecto duae sunt contrariae sollicitudines, sed sunt etiam duae diversae personae : « Le v. 33 venait de montrer l'homme marié partagé au dedans de lui-même par des préoccupations diverses ». Sed vir non matrimonio conjunctus similiter dividitur ! Ad ἄγαμος non minus quam ad γαμήσας spectat μεριμνᾷ. Ex horum si quis μεμερισμένος est quia μεριμνᾷ, alter quoque quoniam μεριμνᾷ similiter est μεμερισμένος. Optime quidem *Godet* ostendit verba καὶ μεμέρισται ad ultimum v. 33 enuntiatum referri non posse, ac recte vetat ne vertatur : « diversitas constat inter mulierem et innuptam aut viduam. » Sola mea igitur interpretatio superest.

In v. 36 verba καὶ οὕτως ὀφείλει γίνεσθαι ex εἰ non pendent, ut commune creditur. Nam sic interpretata ad impediendam obscurandamque modo propositionem prosunt. Pendent ex ἐάν sicut ᾖ ὑπέρακμος. Non objectandus est indicativus modus ὀφείλει pro subj. (ut ᾖ). Similis indicativi usus in N. T. interdum reperitur (cf. lex. Grimm et Gramm. von Winer). In epistula nostra ipsa legimus ἵνα οὕτως γένηται — ἢ ἵνα τις κενώσει (IX, 15. Cf. quae ad h. l. dico). Paulus facit patrem filiam suam existimare dedecoratam « si superadulta sit et ita oporteat fieri. » Quid ita? scil. si oporteat eam παρθένος permanere. Vocis οὕτως significationem contextus (cf. 25-40. — IX, 15) definit. In v. ὀφείλει commoratur oratio quod v. βρόχον v. 35 respondet. Atque ex his duobus verbis nascitur conclusio Pauli : ὃ θέλει ποιείτω, οὐχ ἁμαρτ. κτλ. Confer etiam μὴ ἔχων ἀνάγκην in v. 37, quae verba male explicantur. Ἀνάγκην famae metus etc... (*Godet*) non gignere poterat,

sed praecepta apostoli poterant. Paulus illum laudat qui filiam in matrimonium non collocat, non vult autem illum necessitate sic agere, eo tantum animo ut Paulo obediat. Quamobrem commoratur, repetitque ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, ἐν τῇ ἰδίᾳ καρδίᾳ.

In v. 37 impedimentum latet. Nonnulli probi bonique codices ponunt τοῦ ante τηρεῖν. Cum hic articulus vix explicetur, servandus est, ut recte observant *Meyer* ac *Godet*. Nemo tamen accipiet nimium quaesitam *Godet* interpretationem. Melius erit transponere τοῦ τηρεῖν τὴν ἑαυτοῦ παρθένον post περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος et ante καὶ τοῦτο. Transpositio contraria effecit ut in nonnullis cod. v. τοῦ omitteretur.

VI° — 39-40. — *Utrum viduis mulieribus secundae nuptiae liceant.*

Haereo in v. μόνον ἐν κυρίῳ in v. 39. Illam praescriptionem si Paulus utilem judicavisset, num satis habuisset tam ambigue ac breviter declarare, in angulo quodam obscuro unius ex ultimis cap. propositionibus? Adversus sensum « cum christiano » objicit Reuss eamdem exceptionem super virginibus fieri debuisse. Respondet *Godet :* « Mais à l'égard de celles-ci, Paul n'avait point dit : *à qui elle veut.* Car il y avait là la volonté paternelle qui veillait sur leur sort. » Hoc responsum quasi deverticulum est, quod modo capessit quidam exitum quaerens. Quare enim patribus non dixerit Paulus filias tantum christianis collocare? Cur adolescentibus non praeceperit virgines tantum christianas ducere (v. 28)? Quae causa est cur coelibibus ac viris viduis non mandaverit in matrimonium tantum christianas accipere (v. 9)? Num viduis solis hujusmodi praecepti opus erat? — Libenter emendare velim γαμηθῆναι. Μόνον ἐν κυρίῳ μακαριωτέρα ἐστιν ἐάν... Particula δέ e dittographia ultimae lit-

terae(α) v. μακαριωτέρα et primae litterae (ε) v. ἐστιν forsitan orta est (α = δ in unciali scriptura — *Bast, Vollgraff*, etc...). — Sed variis lectionibus inspectis, melior conjectura occurrit. Nonnulli codices (graec. lat. et byz.) post δέδεται v. νόμῳ legunt, ac nonnulli codices (graec. lat. et byz.) καί post ἐὰν δέ addunt. Restituam igitur γυνὴ δέδεται ἐν νόμῳ κυρίου ἐφ' ὅσον... ἐὰν δὲ κοιμηθῇ — γαμηθῆναι. Μακαριωτέρα δέ... Lex Domini uxorem viro colligat (10-11). Voces νόμος κυρίου nusquam, quod sciam (1), reperiuntur significatione praeditae : « Lex, jussus, doctrina *Christi.* » Deprehendas tantum νόμος πίστεως (Rom., III, 27), νόμος τοῦ Χριστοῦ (Gal., VI, 2), νόμος τῆς ἐλευθερίας (Jac., I, 25 ; II, 12). Infrequentia vocum mendam peperit, quae in omissione, marginali inscriptione, mala insertione consistit. Μόνον factum est νόμῳ.

Breviter nunc complectamur ordinem quem nobis secutus fuisse Paulus visus est.

I. De conjugum in connubio ratione vitae (1-5).

II. Num vidui ac coelibes utriusque sexus coelibem vitam vivere debent (6-9) ?

III. De divortio (10-17).

IV. Digressio in qua circumcisioni ac servituti accommodatur sententia communis : unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat (18-24).

V. Num juvenes virginesque coelibem vitam tenere debent ? (25-38.)

VI. Utrum viduis mulieribus secundae nuptiae liceant (39-40).

VIII, 1-9.

Non satis est, puto, ad cap. VIII explicandum, παρένθεσιν

(1) In Luc., II, 23 κυρίου non Christum, sed Deum indicat.

accipere quam *Godet* proposuit. In v. 8 *Calvin* et *Mosheim* verba a Corinthiis contra Paulum disputantibus dicta viderunt, quae apostolus in v. 9 confutaret : recte quidem. Interpretes qui conjecerunt verba v. 1, ut nunc se habent, ab apostolo e Corinthiorum epistula deprompta fuisse, verum suspicati mihi videntur. *Godet* se illos redarguere opinatur scribendo : « S'il en était ainsi, il faudrait aussi attribuer aux Corinthiens les v. 4-6 qui sont la continuation de la phrase commencée au v. 1. » Rectius loquitur quam credit. Ceterum non plane constanter loquitur, dicens : « il est évident que c'est Paul qui parle dans les v. 4-6 » (p. 6), et paulo inferius addens : « il est possible que l'Apôtre ait emprunté ces propositions (v. 4) à la lettre même de l'Eglise » (p. 11).

Dialogum inter Corinthios ac Paulum constitue, sive Paulus confutandos locos citet quos in epistula Corinthiorum invenerit (cf. VII, 1), sive dialogus ille ars sit venusta quaedam a scriptore inventa, ut orationem expeditam faciat et concitatam. Pronomina *nos* et *vos*, *tu*, vices alternantia, dialogum indicant. Ceterum Paulus aperte repugnantia diceret (v. 1 et 7), si suo nomine semper loqueretur : frustra interpretum subtilitas et exegesis spinae illam contradictionem explanare tentarunt. Fieri non potest ut cum *Godet* aliam significationem vel prolationem verbo γνῶσις in v. 1 et in v. 7 des. Quicumque cap. VIII legerit, persuasum habebit in his v. de una eademque cognitione agi : scil. περὶ τῆς γνώσεως περὶ τῶν εἰδωλοθύτων. Ceterum hic quoque repugnantia *Godet* dicit. Contendit vocem γνῶσιν sine articulo in v. 1 voci γνῶσις cum articulo in v. 7 non esse similem (p. 18). Nunc de monotheista tantum cognitione sermo sit (v. 1), nunc de peculiari ac definita cognitione (scil. cognitione vanitatis paganorum deorum qui nec existunt nec polluere possunt, etc..., v. 7). Attamen ipse *Godet* nobis dicit (p. 10) :

« Le οὖν (v. 4) indique la reprise de la phrase interrompue, mais avec cette différence qu'au *fait* de la connaissance (le γνῶσιν ἔχειν), Paul substitue, comme objet du ***nous savons,*** le *contenu* de cette connaissance. » Igitur concedit *Godet* — quod frustra negaret — γνῶσιν de qua in v. 1 agitur, eam γνῶσιν esse quae verbis definiatur : οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον... Concedit notionem in v. 4-6 explicari quam, ut ejus verba adhibeamus, vox illa γνῶσιν continet. De eadem igitur cognitione et v. 7 et v. 1 disserunt. Cum autem v. 7 longius circumducit (1), si sibi ipse non contradicit, at saltem textui. Dicit Paulus : οὐκ ἔστιν, *Godet* autem interpretatur : ἐστί, — quamvis profecto non explicetur necdum accreverit.

Dialogus, quo sine aenigma verum est hoc cap., ita restituendus est :

Corinthii. — De hostiis autem quae idolis sacrificantur, scimus omnes nos scientiam habere.

Paulus. — Scientia inflat, caritas vero aedificat. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.

Corinthii. — De carne autem hostiarum quae idolis immolantur, scimus nihil esse idolum in mundo, nullumque esse Deum, nisi unum. Nam etsi sunt qui dicantur dii... nobis tamen unus Deus... et unus Dominus (4-6).

Paulus. — Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant ; et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur.

Corinthii. — Esca autem nos non commendat Deo. Neque

(1) « Cette connaissance monothéiste, possédée par nous tous, n'a pas encore déployé dans la conscience de tous toutes ses conséquences » (p. 18).

enim nobis, si manducaverimus, quidquam adjicietur; neque si non manducaverimus, detrahetur quidquam.

Paulus. — Videte autem ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis, etc...

Invito *Godet*, multis interpretibus (*Chrysostôme*, *Calvin*, *Bèze*, *Neander*, *de Wette*) assentior, qui duobus εἰσί v. 5 vim logicam tantum tribuunt. Solum tautologiae crimen objectat *Godet*. Non equidem tam facile quam *de Wette* ad fatendum hanc insimulationem legitimam esse adducar. Propositio quae cum εἴπερ incipit, inanitatem paganorum deorum prae se fert (λεγόμενοι), atque stultitiam hominum qui adeo insani sunt, ut contendant eos esse : propositio contra cum ὥσπερ incipiens in copia illorum deorum commoratur, quam Paulus deinceps unitati unici Dei opponit, contrapositis, ut apud eum fieri solet, verbis πολλοί et εἷς.

VIII, 10.

Non ignoro illam verborum consecutionem οἰκοδομ. εἰς τό... interpretibus plerisque satis commodam videri, nec tamen possum quin insolitam illam judicem atque perobscuram. Transposuerim : ἐὰν γάρ τις — κατακείμενον εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν, οὐχὶ — οἰκοδομηθήσεται; ἀπόλλυται γάρ... Quo pacto verba εἰς τό... praeclare cum κατακείμενον cohaerent, consultoque videtur Paulus verba οἰκοδομηθήσεται et ἀπόλλυται proxima fecisse, quorum concursus animum legentis valde movet. « Nonne aedificabitur? Profecto quidem. Nam peribit! »

IX, 1.

Vocis ἐλεύθερος in v. 1 et 19 sensum non plane ab interpretibus perspectum fuisse suspicor. *Godet* subolet tantum notio libertatis *christianae*. Sed mihi non ita videtur. De

civili libertate, ni fallor, sermo est. Liber erat Paulus, et tamen laborare non dubitabat, quamvis laborem antiqui contemnendum ducerent ut servile munus, viro indignum ingenuo. Quae significatio verbi ἐλεύθερος cum contextui toti, tum v. 6 praeclare respondet : ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν μὴ ἐργάζεσθαι ; Igitur τοῖς πᾶσιν πάντα γέγονεν Paulus, factus est cum judaeis judaeus... servusque cum servis. « Wenn er in Korinth und in Ephesus im Hause und im Geschäft des Zelttuchfabrikanten Aquila arbeitete, so ist er sicherlich ein Mitarbeiter von Sclaven gewesen (1). »

IX, 3.

Male sprevit *Godet*, (nisi forte ignoravit), interpretationem h. l. qua v. 3 non cum praegressis, sed cum sequentibus conjungitur, atque in Vulgata, quae dicitur, editione reperiri potest : « Mea defensio apud eos qui me interrogant, haec est : nonne potestatem habemus...? » Quem ordinem et contextus et asyndeton mihi postulare videntur.

IX, 10-12.

Adversus omnes v. πάντως translationes gravissimum illud est objectandum : periodus cum negatione οὐ careat, intelligi non potest. *Godet* id sensisse non videtur. In v. 8 τὸ μή duobus membris jungitur. Verum ex eo quod οὐ in alterum membrum inducitur, efficitur ut, dum post prius membrum negativa responsio exspectetur, affirmativa contra debeat esse post posterius. Sed in v. 10 τὸ οὐ deest, et τὸ μή quod duo-

(1) *Sclaverei und Christenthum in der alten Welt*, von *Th. Zahn*. Heidelberg, 1879, p. 19-20 (= 159-160).

bus per ἢ conjunctis praepositionibus quasi imperat, expostulat responsum ad unamquamque propositionem negativam. Quae cum ita sint, prima v. 10 verba ultimis v. 9 verbis contradicunt simul ac fini v. 10, quapropter ille locus omnino sensu caret.

Cogitaveram de reponendo ἢ δι' ἡμᾶς <οὐ> τυπικῶς λέγει (Cf. X, 6, 11) (1). Suffecerit autem restituere ἢ δι' ἡμᾶς πάντως <οὐ> λέγει, quod cum symmetria, tum sensus requirit. Negatio οὐ potuit omitti atque in margine adscribi. Variae autem lectiones quae ad vers. 8ᵇ pertinent, ostendunt in hoc v. quoque τὸ οὐ omissum fuisse (dein male restitutum). Cum bis οὐ in margine legeretur, scribae modo in v. 8 negationem reposuerunt atque in v. 10 obliti sunt.

Me judice, post ἐγράφη exarandum est punctum. Scribam μετέχειν, εἰ ἡμεῖς (v. 10-11). Verte : « Quandoquidem qui aret arare debeat in spe, et qui trituret, partem suam habere debeat spei ejus, magnumne est, si nos vobis spiritualia seminavimus, quod nos carnalia metamus? » — Vox ὅτι significationem verbi « quandoquidem » (2) tantum habere potest. Nam notionem verbi « *ut* » (*que*, *dass*) illa vox non habet : v. 10 plane novam sententiam affert, ut recte consignat *Godet* qui tamen in translatione sua sensum accipit quem refellit in commentario. Translatio *quia*, puncto post μετέχειν posito, intelligi non potest. Si ita ut dixi vertes et interpunges, evanescet v. 11 asyndeton. Attamen displicet interpretatio mihi quam *Godet* de fine v. 10 proponit. Liquet post v. 9 part. ἀλοῶν bovem designare. At si ἀροτριῶν hominem indicat, quid vinculum inter locum in v. 9 citatum et v. 10

(1) Verbis δι' ἡμᾶς οὐ τυπικῶς λέγει responderent ταῦτα δὲ τυπικῶς συνέβαινεν ἐκείνοις ; verbis δι' ἡμᾶς γὰρ ἐγράφη verba ἐγράφη δὲ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν.

(2) Cf. X, 17, et quae super VII, 26 animadverti.

constet, non video. *Godet* verbis amplificat plurimis argumentationem totam quam, illo auctore, Paulus fecerit : fateor illam me non intelligere. Ceteroquin symmetria part. ἀροτριῶν et ἀλοῶν, aeque ac v. 9, nos impellunt, ut ἀροτριῶν pro bove arante habeamus (Cf. Job, I, 14 — LXX). Nam bos aratrum extrahens, arare debet sperans sibi os non alligandum esse cum triturabit, et cum triturat, videre debet spem suam ad irritum non redigi ac participare quid trituret (1). Quibus expositis, concludit Paulus : ego, apostolus, apud vos seminavi, seminare debebam sperans messem participare : quid mirum esset, si nunc spem illam ad effectum adducam participemque illud quod, ceterum, alii apud vos metant? Verbo ἀροτριᾶν respondet verbum ἐσπείραμεν, et verbo μετέχειν (cf. μετέχουσιν in v. 12) verbum θερίσομεν. Cum sibi verba v. 10 applicat, cogitur Paulus leviter verba « metaphorae » mutare, et ac in locum bovis arantis et triturantis hominem seminantem et metentem ponere. Sed animadvertes semper eamdem personam duobus verbis designari : nunc bos, nunc Paulus.

Olearii conjectura in v. 12 : τῆς ἡμῶν ἐξουσίας optima est atque accipienda. Hic quoque observandum est quod *Godet* in alio loco scribit : « Il n'est pas permis à l'interprète des saintes Ecritures de subordonner son bon sens à l'arbitraire, à l'inintelligence ou à la négligence des anciens copistes. » (p. 41). Durissimae sunt atque intolerabiles omnes quae de ὑμῶν propositae sunt interpretationes. Si confers quomodo in contextu ἐξουσία usurpatur (quae in se maximam hujus loci sententiam habet) (2), cum *Oleario* omnino facies. —

(1) Forsitan ἐλπίδος ἑαυτοῦ, nisi scribendum καὶ ὁ ἀλοῶν < ἀλοᾶν > ἐπὶ τῷ μετέχειν τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ, vel tantum καὶ ὁ ἀλοῶν < ἀλοᾶν > ἐπὶ τῷ μετέχειν.

(2) Vide IX, 4, 5, 6, 12 (τῇ ἐξουσίᾳ ταύτῃ), 18 (τῇ ἐξουσία μου), et praesertim significationem confer verborum ἡ ἐξουσία ὑμῶν in VIII, 9.

Ceterum Pauli ratiocinatio multo acutior ac concinnior evadit : Si *alii meo* jure fruuntur, nonne *mihi meo* jure frui licet?

Haereo in v. στέγομεν, quod sententiam contextui alienam indicat. Corrige σπείρομεν (γ = ι = τ = π = ρ, *Vollgraff*). Pro adverbio (= omnino, quovis modo, omni in re — *Grimm*) habeas πάντα. Seminamus semper et ubique, nusquam autem ac nunquam metimus (cf. v. 11). — Fieri potest ut mendum librarius commiserit, quod in memoria servaret 2 Tim., II, 10.

IX, 15.

Mirum neminem adhuc sensum compositionemque verborum perspexisse, cum tamen res ipsa tam claris argumentis luceat. Etenim accipe cum *Godet* lectionem byz., id est ἵνα τις pro οὐδείς, et parenthesi utens sic scribe :

οὐκ ἔγραψα δὲ ταῦτα ἵνα οὕτως γένηται ἐν ἐμοί (καλὸν γάρ μοι μᾶλλον ἀποθανεῖν), ἢ τὸ καύχημά μου ἵνα τις κενώσει (vel κενώσῃ). Ἐὰν γάρ κτλ.

Alterum ἵνα cum priore conjungitur, et ambo ad verbum ἔγραψα referenda sunt (non haec scribo ut gloriam meam quis irritam faciat). Quemadmodum priori ἵνα posterius respondet, ita posterius γάρ cum priore congruit.

IX, 22.

Pro πάντως τινάς, cod. graec. lat. legunt πάντας. Credo Paulum πάντως τοὺς πλείονας dedisse. Cum ως et ους interdum confundantur (*Bast*), facile τούς evanescere potuit. Cum λ et α, — ει, ι et τ confundantur, πλείονας expedite πάντας fieri potuit. Et πάντως, quod non minus facile cum πάντας confunditur (α = ω — *Bast*), evanuit. Ita nata est lectio πάντας σώσω. —

Altera lectio orta est e confusione π et λ, π et λλ, π et τ (*Bast*) : πλιονας vel πιονας vel τιονας factum est τινας.

Animadvertes τοὺς πλείονας multo magis dispositioni totius loci convenire quam τινάς. Decrescit flaccescitque, voce τινάς usurpata, oratio : quod contextus non patitur, quod etiam nullo modo fieri potest, nam hic v. breviter v. 19-22 complectitur. In XV, 6 οἱ πλείονες et τινές opponuntur. Num existimare potes apostolum, qui sibi sumpserit ut τοὺς πλείονας salvos faceret, deinceps satis habere τινάς salvos facere?

Quam significationem vocibus τοὺς πλείονας demus? Illud jam agitaverunt de v. 19. E jam propositis explicationibus nulla est quae accipienda mihi videatur. Omnes enim Paulum ea dixisse volunt, quae nunquam revera dixit. Interpretatio *Godet* praecipue spernenda; ut admitti posset, oporteret legeremus αὐτοὺς πλείονας. Minime explicat, ut gloriatur, *Godet* articulum : imo contra eum dicit. — Contextum interroga, tum senties τοὺς πλείονας et in v. 19 in quo illud T. R. legit, et in v. 22 ubi illud restitui, v. πᾶσιν respondere. In v. 20-22 autem Ἰουδαίους respondet verbis τοῖς Ἰουδαίοις, itemque τοῖς ὑπὸ νόμον — τοὺς ὑπὸ νόμον, τοῖς ἀνόμοις — τοὺς ἀνόμους, τοῖς ἀσθενέσιν — τοὺς ἀσθενεῖς. Ex his apparet τοὺς πλείονας hic idem valere ac πᾶσιν, aut, ut ad veritatem accommodatius dicamus, easdem personas designare. Comparatio v. X, 33 hanc sententiam confirmat. Ceterum alia exempla afferre possum, ubi πολλοί et πάντες quasi verba idem significantia adhibentur (Rom., V, 15, 19. Cf. 12, 18). Veri similius est igitur Paulum in IX, 19 et 22 τοὺς πλείονας ita fere intellexisse. In eo commorari non contendebat, quod *omnes* homines, nullo excepto, lucrifaceret, sicut sine dubio dicere noluit se omnibus omnia, sine nulla exceptione, fieri : superbus cum superbis, latro cum latronibus etc... non fiebat. Angustius igitur potius valeret v. πάντες quam v. πλείονες latius. Paulo subtiliter numerum quemdam

exsequi in mente non fuit. Cum neque repellere neque recipere exceptionem aut exceptiones vellet, cum de magna multitudine solum cogitaret, potuit his verbis quasi cognominatis uti (1).

Pro illa emendatione a nobis proposita, fortasse legere malis ἵνα πάντως πάντας σώσω. V. πάντως, cum πάντας confusum, omissum est : unde lectio librorum DEFG. In aliis cod. v. autem πάντας corruptum fuit ac τινάς peperit. Vers. τοῖς πᾶσιν γέγονα πάντα, ἵνα πάντως πάντας σώσω accuratam quamdam exquisitamque elegantiam manifeste testatur (cf. Sap., VI, 11), quae magnam ei auctoritatem tribuit.

Conjicere etiam possis v. τινάς e duplici restitutione v. ἵνα natum fuisse, quod, sequente σώσω, factum est ινας, unde τινας. Attamen minus est facile mutationem v. πάντας in πάντως quam inversam mutationem accipere (Atqui dicere possis verba πάντας τίνας, cum expedire nequirent librarii, in πάντως τινάς mutavisse).

Ad summam menda emendatione certior.

IX, 23.

In T. R. versus hic efficit ut repugnantia Paulus dicat. Modo enumeravit enim omnia quae sua sponte agit, illisque opponit ista quae non agere non potest. In v. 23 autem, quae Paulus sua sponte agit, cogitur tamen, ut salvus fiat, agere ! — Aperte etiam hic versus contra sequentes dicit : κἀγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω, μὴ ζητῶν τὸ ἐμαυτοῦ σύμφορον ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν, ἵνα σωθῶσιν. Illudque καθώς quo hic versus incipit, si-

(1) Plerumque opponuntur v. εἷς verba πάντες et πλείονες aut πολλοί, cum cognominata usurpantur. Hic autem ὁ εἷς Paulus ipse est. Cf. X, 33 ubi τὸ ἐμαυτοῦ σύμφορον et τὸ τῶν πολλῶν (sc. σύμφορον) opponuntur.

cut sequens praeceptum (XI, 1) ostendit a Paulo Corinthios quoque suaderi, ut persequantur non salutem, sed peculiaria commoda. — In totis cap. IX-X, de *salute* ipso proprie non agitur. Fatetur hoc de X, 12 *Godet*, quippe qui declaret verba ἑστάναι, πίπτειν non gratiae aut damnationis habitum, sed fidelitatis aut peccati indicare. Attamen *Godet* in IX, 23-X, 22 deprehendit « la question considérée au point de vue du salut des forts eux-mêmes. » Sed hic quoque pugnantia inter se scribit. Nonne affirmat (p. 68) verbum τρέχω (IX, 24) designare « le progrès dans la sanctification chrétienne »? Ergo omnes qui currunt christiani sunt. Aemulatio inter christianos tantum intercedit. Oportet strenue christianum currere, non ut salvus fiat (salus demum amitteretur si omnino non curreretur), sed ut praeclaram quamdam ac singularem conditionem consequatur. — Si, verborum συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι aliquantisper oblitus, finem cap. IX cum III, 10-15 confers, nullus dubito quin similitudinem maximam deprehendas (cf. δοκιμάσει — ἀδόκιμος, μισθὸν ἔχω — μισθὸν λήμψεται, χρυσίον ἀργύριον κτλ. — ἀδόκιμος pr. de metallis et monetis (*Grimm*).

Ad verba v. 23 redeamus. Utique corrigenda sunt. Quomodo autem non liquet. Forsitan transponendum : τίς οὖν — ὁ μισθός, ἵνα συνκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι, εἰ μὴ τὸ μὴ καταχρήσασθαι — τῷ εὐαγγελίῳ, ἵνα εὐαγγ. — τὸ εὐαγγέλιον (v. 18). In v. 23 legendum : πάντα δὲ ποιῶ διὰ τὸ εὐαγγέλιον (1). Οὐκ οἴδατε... Objici modo potest συνκοινωνός non plane sic intelligi : vide tamen Rom., XI, 17. At si transpositio admittitur, melius erit lectionem byz. τοῦτο sequi : τοῦτο (scil. τὸ τοῖς πᾶσιν πάντα γίνεσθαι) δὲ ποιῶ διὰ τὸ εὐαγγέλιον.

V. 23 talem servare potes qualis in T. R. legitur, ea demum lege ut corrigas ἵνα συνκοινωνοὶ αὐτοῦ γένωνται (scil. οἱ πάντες).

(1) Cf. X, 31.

Infrequentia verb. (1) γένωνται origo fuerit mendae. Ceterum v. γένωμαι ac γένωνται in unciali scriptura persimilia sunt. Ex illa menda orta est mutatio συνκοινωνοί in συνκοινωνός. — Nihilo minus tamen transpositionem suspicor in v. 18, et scribo : τίς οὖν — ὁ μισθός, εἰ μὴ τὸ μὴ καταχρ. — τῷ εὐαγγ., ἵνα εὐαγγ. — τὸ εὐαγγ. Solus ille ordo probabilis est. Quod voces μὴ καταχρ. indicant continentque, tendit ad « ἀδάπανον θήσω. » Praeterea durissima est verborum compositio τίς οὖν μου ἐστὶν ὁ μισθός; ἵνα εὐαγγ. : quam proponimus, ea multo simplicior commodiorque videtur.

Imo vitabis illo modo *Meyer* interpretationem. Ut T. R. se habet, invito *Godet*, recte *Meyer* contendit post interrogationem (v. 18) illud solum responsum subauditum esse : « nulla est (sc. merces); nullum praemium accipio. » Quod necessario illam interpretationem consequitur quam ipse *Godet* de οἰκονομίαν πεπίστευμαι proponit. In textu nostro, illa fit responsio : « Quaenam est merces mea, nisi... », scil. « nullam habeo mercedem, nisi... »

Itaque in hoc cap. IX fine Paulus sanctam ambitionem eloquitur, quae prorsus tolerabilis est, nam nihil ceteris hominibus eripit. *Godet* vidit in εἷς (v. 24) non nimium commorandum esse. Ac plur. καταλάβητε ostendit omnes christianos amplissimis ornari praemiis posse. At quae sunt mercedes illae? In cap. III indicatur illas in salute ac sanctificatione fratrum poni.

Sensus voc. ἀδόκιμος (v. 27) definiri potest similibus locis collatis 2 Cor., X, ac praecipue X, 17-18 : ὁ δὲ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω · οὐ γὰρ ὁ ἑαυτὸν συνιστάνων, ἐκεῖνός ἐστιν δόκιμος, ἀλλ' ὃν ὁ κύριος συνίστησιν. Apparet δόκιμος arcte cum καυχᾶσθαι (et συνίστημι) colligari. Ex quo intelligitur in 1 Cor., IX conjungendum quoque arcte ἀδόκιμος cum τῷ καυχήματι. Cum

(1) Quod v. tamen in epist. nostr. occurrit : XI, 19.

Paulus μήπως... ἀδόκιμος γένωμαι (v. 27) scribit, non longe secus est ac si scripsisset (οὐκ ἔγραψα)... τὸ καύχημά μου ἵνα τις κενώσει (v. 15) aut potius ἵνα μὴ κενωθῇ τὸ καύχημά μου.

X, 13.

Ad arduum v. accedimus, quem nullus commentator, ne *Godet* quidem, hactenus ita expedire potuit, ut commode facileque cum praegressis, tum sequentibus adhaereret. Affirmare tamen ausim cohaerentiam in Pauli mente fuisse, quam etiam curavit ut v. διόπερ (v. 14) indicaret. — Ut hunc v. 13 intelligamus, utamur v. 9 et 21-22. Nonne vides voci πειρασμός eamdem vim dandam esse ac verbo ἐκπειράζωμεν, et verbum δύνασθε eodem modo ac verba δύνασθε (v. 21) explicandum? Emendo igitur :

Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν; Nonne vos tentatio apprehendit? Vox πειρασμός hic, ut in Hebr. III, 8 et in nonnullis LXX locis explicanda : tentatio ab hominibus Deo facta, i. e. rebellio contra Deum, qua ejus potentia ac justitia quasi exploratur et ad ostendendam se provocatur.

Οὐ μὴ ἀνθρώπινοι; nonne homines (humani) estis (Cf. III, 3-4)? Frequens est confusio vocum οὐ et εἰ (*Bast*), qua perpetrata, cum haec tria verba cum antecedentibus colligarentur, necessarium fuit corrigere ἀνθρώπινοι in ἀνθρώπινος.

Pergit Paulus : fidelis autem Deus est, qui non patietur se a vobis tentari supra id quod potestis. — Sensus adj. πιστός similis hic est ejusdem adj. sensui in 2 Cor., I, 18 ubi ad vehementius affirmandum adhibetur aut in 2 Tim. II, 13 ubi ad minandum usurpatur. — Pro πειρασθῆναι, repone πειρᾶσαι. Prava totius loci interpretatio causa fuit cur hoc vocabulum corrumperetur : quae interpretatio mihi videtur ex eo nata, quod sensum vocum πειρασμός ac πιστός non intellexerunt librarii. In unciali scriptura, syllabae σαι et ουν inter-

dum confunduntur (***Bast***). Si recordaris autem crebras esse confusiones ο et θ, υ et ι, η, facile intelligas πειρᾶσαι in πειραθῆν mutari potuisse, unde πειρασθῆναι ortum est (nam terminationes verborum saepe omittuntur, insuperque syllabae αθ et σθ confunduntur. — ***Bast***). — Huc afferenda est optima interpretatio quam *Godet* de δύνασθε in v. 21 proponit. Non jure, sed reipsa, potestis.

Concludit denique Paulus : « Sed, ubi primum Deum tentabitis, efficiet ut non amplius eum tentare possitis. » — Quem sensum ut obtineas, suffecerit corrigere ἐπενεγκεῖν. Praepositiones ἀπό et ἐπί saepe sunt confusa, etiamque in compositis verbis, inquit ***Bast*** : quae menda a ceteris fluit. — Praestiterit fortasse emendare τοῦ δύνασθαι < καὶ τοῦ > ὑπενεγκεῖν. Particula καί (= αι) evanuit et simul vocem τοῦ sustulit (τ = ι : igitur inter δύνασθαι et ὑπνεγκεῖν, v. τοῦ factum est ο quod omissum fuit. — Aut litterae τό pro illa nota existimatae sunt qua lacunae indicabantur; et alterum hujus versus ὑμᾶς quod per marginem iter fecit, (nam varie in cod. ponitur), pro υ restitutum fuit : nonnulli libri enim (ut K) legunt τοῦ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπενεγκεῖν). — In ita restituto loco v. δύνασθαι v. δύνασθε respondet et v. ὑπενεγκεῖν v. ἐάσει. « Non patietur Deus a vobis se tentari supra id quod potestis ; sed cum efficiet ut (eum tentare) non possitis, tum desinet pati (illam tentationem). » — Animadvertes in T. R. v. 13 absurde concludere. « Cum tentatione Deus exitum quoque dabit, ut ferre tentationem possitis. » At quidem si Deus exitum, sc. finem tentationis dat, non jam erit locus tentationem terminatam ferendi! Aut : Deus efficiet ut desinatis posse tentationem ferre, — quod absurdius etiam est.

X, 18.

Male v. κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου in commentariis explicare

cut sequens praeceptum (XI, 1) ostendit a Paulo Corinthios quoque suaderi, ut persequantur non salutem, sed peculiaria commoda. — In totis cap. IX-X, de *salute* ipso proprie non agitur. Fatetur hoc de X, 12 *Godet*, quippe qui declaret verba ἑστάναι, πίπτειν non gratiae aut damnationis habitum, sed fidelitatis aut peccati indicare. Attamen *Godet* in IX, 23-X, 22 deprehendit « la question considérée au point de vue du salut des forts eux-mêmes. » Sed hic quoque pugnantia inter se scribit. Nonne affirmat (p. 68) verbum τρέχω (IX, 24) designare « le progrès dans la sanctification chrétienne »? Ergo omnes qui currunt christiani sunt. Aemulatio inter christianos tantum intercedit. Oportet strenue christianum currere, non ut salvus fiat (salus demum amitteretur si omnino non curreretur), sed ut praeclaram quamdam ac singularem conditionem consequatur. — Si, verborum συγκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι aliquantisper oblitus, finem cap. IX cum III, 10-15 confers, nullus dubito quin similitudinem maximam deprehendas (cf. δοκιμάσει — ἀδόκιμος, μισθὸν ἕχω — μισθὸν λήμψεται, χρυσίον ἀργύριον κτλ. — ἀδόκιμος pr. de metallis et monetis (*Grimm*).

Ad verba v. 23 redeamus. Utique corrigenda sunt. Quomodo autem non liquet. Forsitan transponendum : τίς οὖν — ὁ μισθός, ἵνα συνκοινωνὸς αὐτοῦ γένωμαι, εἰ μὴ τὸ μὴ καταχρήσασθαι — τῷ εὐαγγελίῳ, ἵνα εὐαγγ. — τὸ εὐαγγέλιον (v. 18). In v. 23 legendum : πάντα δὲ ποιῶ διὰ τὸ εὐαγγέλιον (1). Οὐκ οἴδατε... Objici modo potest συνκοινωνός non plane sic intelligi : vide tamen Rom., XI, 17. At si transpositio admittitur, melius erit lectionem byz. τοῦτο sequi : τοῦτο (scil. τὸ τοῖς πᾶσιν πάντα γίνεσθαι) δὲ ποιῶ διὰ τὸ εὐαγγέλιον.

V. 23 talem servare potes qualis in T. R. legitur, ea demum lege ut corrigas ἵνα συνκοινωνοὶ αὐτοῦ γένωνται (scil. οἱ πάντες).

(1) Cf. X, 31.

Infrequentia verb. (1) γένωνται origo fuerit mendae. Ceterum v. γένωμαι ac γένωνται in unciali scriptura persimilia sunt. Ex illa menda orta est mutatio συνκοινωνοί in συνκοινωνός. — Nihilo minus tamen transpositionem suspicor in v. 18, et scribo : τίς οὖν — ὁ μισθός, εἰ μὴ τὸ μὴ καταχρ. — τῷ εὐαγγ., ἵνα εὐαγγ. — τὸ εὐαγγ. Solus ille ordo probabilis est. Quod voces μὴ καταχρ. indicant continentque, tendit ad « ἀδάπανον θήσω. » Praeterea durissima est verborum compositio τίς οὖν μου ἐστὶν ὁ μισθός ; ἵνα εὐαγγ. : quam proponimus, ea multo simplicior commodiorque videtur.

Imo vitabis illo modo *Meyer* interpretationem. Ut T. R. se habet, invito *Godet*, recte *Meyer* contendit post interrogationem (v. 18) illud solum responsum subauditum esse : « nulla est (sc. merces) ; nullum praemium accipio. » Quod necessario illam interpretationem consequitur quam ipse *Godet* de οἰκονομίαν πεπίστευμαι proponit. In textu nostro, illa fit responsio : « Quaenam est merces mea, nisi... », scil. « nullam habeo mercedem, nisi... »

Itaque in hoc cap. IX fine Paulus sanctam ambitionem eloquitur, quae prorsus tolerabilis est, nam nihil ceteris hominibus eripit. *Godet* vidit in εἷς (v. 24) non nimium commorandum esse. Ac plur. καταλάβητε ostendit omnes christianos amplissimis ornari praemiis posse. At quae sunt mercedes illae? In cap. III indicatur illas in salute ac sanctificatione fratrum poni.

Sensus voc. ἀδόκιμος (v. 27) definiri potest similibus locis collatis 2 Cor., X, ac praecipue X, 17-18 : ὁ δὲ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω · οὐ γὰρ ὁ ἑαυτὸν συνιστάνων, ἐκεῖνός ἐστιν δόκιμος, ἀλλ' ὃν ὁ κύριος συνίστησιν. Apparet δόκιμος arcte cum καυχᾶσθαι (et συνίστημι) colligari. Ex quo intelligitur in 1 Cor., IX conjungendum quoque arcte ἀδόκιμος cum τῷ καυχήματι. Cum

(1) Quod v. tamen in epist. nostr. occurrit : XI, 19.

Paulus μήπως... ἀδόκιμος γένωμαι (v. 27) scribit, non longe secus est ac si scripsisset (οὐκ ἔγραψα)... τὸ καύχημά μου ἵνα τις κενώσει (v. 15) aut potius ἵνα μὴ κενωθῇ τὸ καύχημά μου.

X, 13.

Ad arduum v. accedimus, quem nullus commentator, ne *Godet* quidem, hactenus ita expedire potuit, ut commode facileque cum praegressis, tum sequentibus adhaereret. Affirmare tamen ausim cohaerentiam in Pauli mente fuisse, quam etiam curavit ut v. διόπερ (v. 14) indicaret. — Ut hunc v. 13 intelligamus, utamur v. 9 et 21-22. Nonne vides voci πειρασμός eamdem vim dandam esse ac verbo ἐκπειράζωμεν, et verbum δύνασθε eodem modo ac verba δύνασθε (v. 21) explicandum? Emendo igitur :

Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν; Nonne vos tentatio apprehendit? Vox πειρασμός hic, ut in Hebr. III, 8 et in nonnullis LXX locis explicanda : tentatio ab hominibus Deo facta, i. e. rebellio contra Deum, qua ejus potentia ac justitia quasi exploratur et ad ostendendam se provocatur.

Οὐ μὴ ἀνθρώπινοι; nonne homines (humani) estis (Cf. III, 3-4)? Frequens est confusio vocum οὐ et εἰ (*Bast*), qua perpetrata, cum haec tria verba cum antecedentibus colligarentur, necessarium fuit corrigere ἀνθρώπινοι in ἀνθρώπινος.

Pergit Paulus : fidelis autem Deus est, qui non patietur se a vobis tentari supra id quod potestis. — Sensus adj. πιστός similis hic est ejusdem adj. sensui in 2 Cor., I, 18 ubi ad vehementius affirmandum adhibetur aut in 2 Tim. II, 13 ubi ad minandum usurpatur. — Pro πειρασθῆναι, repone πειρᾶσαι. Prava totius loci interpretatio causa fuit cur hoc vocabulum corrumperetur : quae interpretatio mihi videtur ex eo nata, quod sensum vocum πειρασμός ac πιστός non intellexerunt librarii. In unciali scriptura, syllabae σαι et ουν inter-

dum confunduntur (***Bast***). Si recordaris autem crebras esse confusiones ο et θ, υ et ι, η, facile intelligas πειρᾶσαι in πειραθην mutari potuisse, unde πειρασθῆναι ortum est (nam terminationes verborum saepe omittuntur, insuperque syllabae αθ et σθ confunduntur. — ***Bast***). — Huc afferenda est optima interpretatio quam ***Godet*** de δύνασθε in v. 21 proponit. Non jure, sed reipsa, potestis.

Concludit denique Paulus : « Sed, ubi primum Deum tentabitis, efficiet ut non amplius eum tentare possitis. » — Quem sensum ut obtineas, suffecerit corrigere ἐπενεγκεῖν. Praepositiones ἀπό et ἐπί saepe sunt confusa, etiamque in compositis verbis, inquit ***Bast*** : quae menda a ceteris fluit. — Praestiterit fortasse emendare τοῦ δύνασθαι < καὶ τοῦ > ὑπενεγκεῖν. Particula καί (= αι) evanuit et simul vocem τοῦ sustulit (τ = ι : igitur inter δύνασθαι et ὑπνεγκεῖν, v. τοῦ factum est ο quod omissum fuit. — Aut litterae τό pro illa nota existimatae sunt qua lacunae indicabantur; et alterum hujus versus ὑμᾶς quod per marginem iter fecit, (nam varie in cod. ponitur), pro υ restitutum fuit : nonnulli libri enim (ut K) legunt τοῦ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπενεγκεῖν). — In ita restituto loco v. δύνασθαι v. δύνασθε respondet et v. ὑπενεγκεῖν v. ἐάσει. « Non patietur Deus a vobis se tentari supra id quod potestis ; sed cum efficiet ut (eum tentare) non possitis, tum desinet pati (illam tentationem). » — Animadvertes in T. R. v. 13 absurde concludere. « Cum tentatione Deus exitum quoque dabit, ut ferre tentationem possitis. » At quidem si Deus exitum, sc. finem tentationis dat, non jam erit locus tentationem terminatam ferendi! Aut : Deus efficiet ut desinatis posse tentationem ferre, — quod absurdius etiam est.

X, 18.

Male v. κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου in commentariis explicare

solent. Recordare sodes Hebr. XIII, 10 : ἔχομεν θυσιαστήριον ἐξ οὗ φαγεῖν οὐκ ἔχουσιν ἐξουσίαν, etc... Supervacaneum est, puto, admonere quemquam θυσιαστήριον ipsum neque totum neque ex parte comedi posse. Metonymia illa illis similis est, quae in epistula nostra occurrunt, in qua ποτήριον pro οἶνος habetur vocique ἄρτος respondet (XI, 26, 27, 28). In X, 18 metonymia quoque inest. Christiani qui panem in eucharistia manducant κοινωνοὶ τοῦ ἄρτου fiunt, scil. τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Israelitae autem qui hostias edunt, τῶν θυσιῶν κοινωνοί fiunt, scil. immolatorum atque oblatorum Deo, ergo ipsi Deo immolati atque oblati fiunt, et κοινωνοὶ Θεοῦ. Intelligis quam haec bene respondeant symbolico sacrificii in V. T. sensui.

X, 29.

In X, 23-XI, 1 quotiescumque Paulus 2 pers. adhibet, illa quidem in plurali numero utitur. Igitur corrige, sodes, ἑαυτῶν. Illud mendum facillime scriba committere poterat; praeterea gen. sing. τοῦ ἑτέρου, cum in proximo esset, maximam vim habuit.

XI, 2.

Solent interpretatores illum v. pro affirmativa propositione habere : unde fit ut Paulus repugnantia dicat. Declarat enim : « Laudo vos quod usquequaque (πάντα) mei memores estis, et praecepta mea sicut tradidi, tenetis. » Verumtamen in seq. v. (17, 22) illos vituperare festinat. Praeterea, inter ea quae Corinthiis a Paulo sunt tradita (παραδόσεις v. 2) et quas Corinthii tales tenuerunt quales Paulus illis tradiderat, reperitur ratio Coenae sacrae celebrandae : quam illis Paulus tradidit (v. 23 παρέδωκα), attamen non servaverunt,

quod illis apostolus exprobrat! V. 2 et 22-23 compositis, liquet Paulum revera non dixisse quae illi in v. 2 praebeantur. — Non satis erit, ut rem illam expedias, verba ἐν τούτῳ (v. 22) praetendere multis verbis enucleata : « Sur d'autres points je puis vous louer (v. 2), mais sur celui-ci non! » (sic *Godet*). Etenim illa res (ἐν τούτῳ) ceteris similis est rebus de quibus, in v. 2, ambigitur. Ac nimis liquida sunt verba v. 2, nimis distincte quamlibet exceptionem praecludunt, ut ille sensus permittatur. — Num dices de mulierum in ecclesia habitu : « l'apôtre ne s'était pas expressément prononcé dans son enseignement oral...? » (*Godet*). At si « ce sont certainement les traditions relatives aux usages ecclésiastiques que désigne ici le mot πάραδόσεις » (*Godet*), nonne certo certius est coram Paulo mulieres ante hoc tempus non locutas fuisse nec, nisi velatas, oravisse? Nonne constat a Paulo non institutos fuisse hos mores? Ergo qui hos mores instituebant digni non erant quibus Paulus diceret : καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις κατέχετε. Nam contrarium morem a Paulo institutum ac consecratum evertebant, et vers. 3-15 iterum versusque 2 inter se pugnant (1). — De v. 3 *Godet* scribit : « Il est assez probable, d'après le v. 16, que les ultra-libéraux de Corinthe parlaient avec un certain dédain des prescriptions ecclésiastiques laissées par l'Apôtre, et qu'au nom de l'Esprit plusieurs prétendaient jeter ses règles par-dessus bord » (p. 124). Quo pacto igitur Paulus illis laudem v. 2 impertire potuit?

Nisi in hoc enuntiato ironiam videas (quod difficile est), interrogationem, quaeso, statue : « Num vos laudabo,

(1) V. 16 et seq. plane cum v. 2 pugnant. Nam, pace *Godet* dixisse liceat, in illis v. *depravationem* institutionis Paulus reprehendit. Nisi depravatio constaret, vix intelligeres ceterum cur Paulus frustra operam insumpserit in vers. 23 sq. scribendis.

possumne vos laudare quod usquequaque mei memores estis? » Noli vertere : « Mei memores estis, vobisne hoc laudi dabo? » Sed : « Num mei ita memores estis, ut vobis hoc laudi dare possim? Num mihi causam praebetis ad vos laudandos quod usquequaque mei memores estis? » Non multo ante Paulus dixit : imitatores mei estote. Quin, num forte jam vales sunt, quales Paulus illos esse vult? Num laudis jam locus est? Minime quidem! Scite tamen... — E v. 3 non efficitur, ut legentes antea id nescirent de quo Paulus verbum facit, non secus ac verba οὐ θέλω γὰρ ὑμᾶς ἀγνοεῖν in X, 1 non demonstrant Corinthios neminem audivisse exitum de Aegypto memorantem. Veri simile videtur Paulum dedisse πάντα μου μιμεῖσθε. Optime πάντα μου interpretatus est *Rückert*. Scriba quidam sententiae *Meyer* et *Godet* jam approbator, qui haec verba πάντα μου sic explicata durissima inveniunt, in errorem raptus est genitivo μου, qui legendi μέμνησθε initium illi attulit. Μιμεῖσθε autem legens, inter v. 1 et 2 vinculum arctius adstringes. Quod ad πάντα μου attinet, confer πάντα ὑμῶν in XVI, 14.

XI, 10.

Optime animadvertit *Godet* quam difficultatem verba διὰ τοὺς ἀγγέλους praebeant. « Est-ce là un second motif? Il devrait, dans ce cas, être lié au précédent (celui que rappelait le mot διὰ τοῦτο) par une particule telle que : *et*, *et aussi*, ou *et en outre*. Est-ce, au contraire, le même motif présenté sous une autre forme? Mais, dans ce cas, on ne comprend pas la relation entre des modes d'expression aussi différents pour exprimer la même idée. » Postquam talia fateri non dubitaverit, mirarer si *Godet* ipsi sua interpretatio placeret. Etenim in v. διὰ τοὺς ἀγγέλους alteram causam ponit. Praeterea, si omnes illae sententiae, eximiae nimirum, quos ei

Godet munifice dedit, in mentem revera Paulo venissent, num, quaeso, tibi persuadeas illum ea omisisse et tribus tantum indicavisse verbis (διὰ τοὺς ἀγγέλους) in obscuro quodam orationis angulo reconditis? Nonne ea pro singulari argumento (cf. VI, 3) habuisset?

Adduci possis ut credas textum vitiatum fuisse, ac restituas pro διὰ τοὺς ἀγγέλους verba διάγγελλόν τι (ν = υς — *Tournier*). Verte : ὀφείλει ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τι διάγγελλον ἐξουσίαν. Facilius quam in T. R. ἐξουσίαν explicaretur (1).

Attamen objectiones *Godet* illam non evertunt interpretationem, quae sequitur : in v. 10 cum v. διὰ τοῦτο manifesto conclusio incipit, et in διὰ τοὺς ἀγγέλους nihil aliud latere potest ac cognominata v. διὰ τοῦτο vox. Etenim in v. praegressis Paulus e *Genes.* locis (non expresse citatis quidem, sed aperte indicatis) argumenta ducit. Paulo autem judice (Gal., III, 19. — Cf. in Steph. orat. Act., VII, 38 et 53), lex ab angelis promulgata fuit. Verba διὰ τοὺς ἀγγέλους valent tanquam v. διὰ τὸν νόμον, quae ipsa idem sonant ac v. διὰ τὴν γραφήν (Cf. Gal., III, 22 ubi γραφή pro voce v. νόμος cognominata habetur).

Difficillimum semper commentatoribus visum est quae cap. XI et XIV de habitu mulierum in ecclesiae conventibus (ita enim interpretantur plerumque) dicunt, componere. Non perfecit *Godet* ut contradictionem tolleret. Cap. XIV (sic enim existimat) sine ulla exceptione vetat ne mulieres in concilio loquantur. Et cap. XI sinit illud interdum fieri, quod plane prorsusque cap. XIV interdicit. Placet *Godet* id contradictionem « apparente » judicare (p. 131) : me judice, vera et absoluta est.

Attamen Paulus non repugnantia dixit. Jubet enim apos-

(1) Confer, quaeso, 1 Tim., II, 10 : ἀλλ' ὃ πρέπει γυναιξὶν ἐπαγγελλομέναις θεοσέβειαν.

tolus, in cap. XIV, silentium mulieres semper in ecclesia obtinere, sed nihil in cap. XI indicat mulieres *in ecclesia* debere aut orare aut prophetare (1). Cum in cap. XIV ἐν οἴκῳ verbis ἐν ταῖς ἐκκλησίαις opponatur atque in eodem cap. silentium ἐν ταῖς ἐκκλησίαις praescribatur, liquet orationem ac prophetationem quas in cap. XI apostolus permisit, ἐν οἴκῳ modo permitti.

Quae illis consideratis objici possunt argumentis, nullius momenti sunt. Non recte *Godet* v. 16 obtestatur; ostendam mox hunc v. 16 ad 1-15 non referendum esse, sed novam explicationem incipere. Ceterum, etiamsi hic vers. ad 1-15 referendus esset, apparet v. αἱ ἐκκλήσιαι (in hoc v. 16) non publicos conventus designare, sed varia christianorum, ut ita dicam, collegia in multis urbibus instituta. Versus 16 omnino sensu careret, si αἱ ἐκκλήσιαι « publicos conventus » revera in h. vers. designarent. — Argumentum quod e v. 10 *Godet* ducit, in interpretatione h. v. nititur quam refelli. Quod autem dicit : « Il est impossible d'admettre que l'Apôtre eût voulu imposer l'obligation du voile à une mère priant entourée de son mari et de ses enfants » (p. 131), illud « a priori » dictum non solum textu non confirmatur (2), sed illi contradicit. Animadverte enim Pauli in v. 6 ratiocinationem. Utrum mulieri turpe est, annon, capillis tonsis, inter liberos et maritum esse? Nonne illud v. 15 roborat? Num foris solummodo mulier longo est ca-

(1) V. 13 asseverare contra videtur mulierem pro *Deo*, non pro hominibus orare. Cf. XIV, 28 : ἑαυτῷ λαλείτω καὶ τῷ θεῷ, quod τῷ λαλεῖν voce magna in ecclesia opponitur. Cf. quoque XIV, 2 sqq. — Ex eo quod Paulus de mulieribus *ante* v. 17-18 loquatur, conficitur, me judice, perspicue mulieres et concilia secum nullam rem in hoc cap. habere.

(2) Num miraberis Paulum de vestitu mulierum domi curare? Cf. autem 1 Tim., II, 8-10, ac praesertim ἐν παντὶ τόπῳ.

pillo? Num foris demum, in publicis conventibus, capilli pro flammeo ei dati sunt (v. 15)? Num Paulus capillos alienos falsasque comas commendare voluit? — Illud etiam explicationem meam stabilit, quod, ut *Godet* ipse consignat, in cap. XIV *prophetissae* nusquam cum prophetis commemorantur, nomenque προφῆτις tamen in A. T. usurpabatur neque in N. T. (Luc., II, 36. Apoc., II, 20) deest.

XI, 16-34.

Invito *Godet*, liquet in συνήθειαν latere consuetudinem τοῦ φιλόνεικος εἶναι. Ultimum argumentum quo, *Godet* auctore, Paulus explicationem suam conclusit « sur la tenue de la femme dans les assemblées religieuses », pertenue ac vanum est. Haud erat sane quod Paulus Corinthiis diceret : ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε (v. 13), si rem tali argumento conficere vellet, cui ceterum Corinthii cum Canuleio respondere potuissent : « Nullane res nova institui debet? et quod nondum est factum... ea, ne si utilia quidem sint, fieri oportet? » — Grammatica autem jubet voces τοιαύτην συνήθειαν verbis solum φιλόνεικος εἶναι compleri. — Verum ille v. 16 non ad praegressa, ut plerumque atque etiam apud *Godet* evenit, sed ad sequentia referendus. Vinculum quod inter v. 16 et 17 constat, tam perspicuum est ut merito mireris a commentatoribus non observatum fuisse. Utcumque illum v. 17 legas, significabit : si vobis illa dico quae in v. 16 dixi, in ea sententia dico ut modum vituperem quo in conventibus vestris vos geratis. Mea interpretatio solum explanat initium v. 17 : τοῦτο (1) δὲ παραγγέλλων (aut παραγγέλλω). Quod ad

(1) Interpretatio *Godet* minus succedit in voce τοῦτο explicanda. Quod ista paraphrasi dijudicari potest : « Tout en vous recommandant simplement de tenir compte de la direction que je viens de

φιλόνεικος attinet, melius foret legere φιλόνικος (1) quod significat : überh. nach dem Vorrange od. Vorzuge strebend.

Adversus *Godet* existimo cum *Meyer*, τὸ οὖν omnino prohibere ne posterius συνερχομένων aliud sit quam nova prioris iteratio post parenthesin v. 19 (2). Πρῶτον autem explicari ita potest, ut nemini opus sit quoddam ἔπειτα δέ quaerere aut fingere apostolum sententiae suae fuisse immemorem. Suffecerit huic vocabulo significationem a *Passow* indicatam dare : *wenn erst*, *sobald erst*; *cum primum*, *ubi primum*. Significat tum v. 18 : Nam ubi primum in ecclesiam convenitis..., factiones sunt inter vos.

Godet putat τὰ σχίσματα ad Corinthias sectas pertinere. Quod defendi nequit. Primum ex illis quae supra dixi, apparet versus 18-19 ad eam rem solum pertinere de qua in v. 20 sq. agitur. Praeterea τὰ σχίσματα, de quibus in v. 18 agitur, tum demum fiunt, *cum* in *ecclesiam*, scil. in conventus Corinthii christiani veniunt. Illae sectae igitur non semper permanent. Ultro etiam quis credat Paulo,

vous donner (v. 1-16), je ne saurais vous louer quant au sujet dont je vais vous parler. » Pace *Godet* atque *Reuss* dicam : caret sensu haec interpretatio.

(1) « Sunt qui, membranarum auctoritate freti, a νεῖκος formam φιλόνεικος ductam esse contendant. « Cras credam. » Dicat aliquis : quid igitur? num invitis poetis mutandum φιλονεικής? Minime gentium. Namque multo erit et facilius et melius ubique revocare φιλόνικος, φιλονικία, φιλονικεῖν quae omnia sunt verba incorruptae Graecitatis. » (*Vollgraff*, *Studia palaeographica*, p. 32). — Cum nostr. v. conferri possunt IV Macc., I, 25-27 : ἐν τῇ ἡδονῇ δέ ἐστι καὶ ἡ κακοήθης διάθεσις πολυτροπωτάτη πάντων οὖσα τῶν παθῶν, κατὰ μὲν τὴν ψυχὴν..... φιλοδοξία, φιλονεικία (repone igitur φιλονικία)....., κατὰ δὲ τὸ σῶμα, παντοφαγία..... μονοφαγία. Ad hunc modum *Grimm* (*Kurzgefasst. Handbuch zu d. Apok.*) vocem μονοφαγία explicat : « Alleinprasserei, die Gier des μονοφάγος, der Alles allein isst ohne Anderen etwas zu gönnen. »

(2) Cf. explicationem quam de VIII, 1-4 ipse *Godet* accipit.

tam fuse in epistulae initio de sectis locuto, nunc libere de his obiter loqui? Denique stolidum foret illum postquam de sectis, ut in primis cap., locutus fuit, nunc in cap. XI Corinthios ita compellare : « *Audio* (quasi nesciret!) partium studiis vos divisos esse... » atque stolidius etiam foret quod addit : « *Ex parte credo!* » (1).

Cap. XII, 25 manifeste demonstrat vocem σχίσματα neutiquam necessario *sectas* designare. *Godet* fatetur (p. 188) frustra tentavisse *Baur*, etc., cap. XII-XIV ad varias Corinthi sectas referre. Igitur τὰ σχίσματα v. XII, 25 *sectae* non sunt : cur, sodes, τὰ σχίσματα v. XI, 18 *sectae* essent? *Godet* (fateor enim) in XII, 25 lectionem ℵ refellit quam *Gebhardt* secutus est, ac lectionem σχίσμα mavult. Sed in argumentatione *a priori*, ut dicunt, nititur ille quam esse falsam textus demonstrat. *Godet* existimat plur. σχίσματα ad sectas modo referri posse; cum autem de sectis in hoc cap. agi non posse merito declaret, singul. eligit. Sed nihil demonstrat v. plur. σχίσματα necessario ad sectas referendum, ac *Godet* nullum argumentum profert, ut hanc sententiam, quae demonstrari nequit, demonstret. In capit. XII similitudine sunt multa σχίσματα (v. 15 : πούς et χείρ, v. 16 : οὖς et ὀφθαλμός, v. 21 : ὀφθαλμός et χείρ, κεφαλή et πόδες). Serva igitur σχίσματα in XII, 25 ac desine τὰ σχίσματα in XI, 18 pro *sectis* habere.

Altera est etiam similitudo consignanda inter duos quos contuli locos. In vers. XI, 18 sq. de Coena agitur. E v. X, 17 autem, christiani, quia una coenam participant, unum

(1) Adeo verum est hos v. 18-19 ad Coenam pertinere, ut *Godet* ipse, inscius sane, cap. XI in duas partes diviserit, quorum posterior 17-34 (sic *God.*) vitiosam in Coena celebranda consuetudinem describit ac vituperat (p. 184). Recte quidem, at repugnantia dicit interpres.

sunt corpus : ἓν σῶμα. Itaque nihil est cur mireris, si Paulus τὰ σχίσματα, cum loquitur de Coena, commemoret, praesertim cum in XII, 25 de illo loquens ἓν σῶμα, praecise τὰ σχίσματα citet (1).

V. 19 *Godet* interpretatio infelix videtur. Me judice, scribendum δεῖ γὰρ καὶ διαιρέσεις... Menda ex eo nata est, quod false scribae putaverunt Paulo consilium esse de sectis loquendi. Illam autem prava peperit litterarum divisio, quas olim perpetua serie librarii scribebant. In unciali scriptura saepe καί prima tantum littera κ effingitur, et in eadem scriptura littera δ saepissime cum α (Α, Δ) confunditur. Scriba quis igitur legit καιαιρεσεις pro κδιαιρεσεις : deinde verba ita separata fuerunt καὶ αἱρέσεις pro καὶ διαιρέσεις. Qua emendatione novae similitudines loci nostri apparent cum cap. XII : de voce διαιρέσεις, cf. XII, 4, 5, 6, 11, et cf. etiam XI, 19 (φανεροὶ γένωνται) cum XII, 7 (ἡ φανέρωσις).

Vocabulum δόκιμοι non designat « les membres vrais de l'Eglise en opposition à ceux qui n'ont cru que superficiellement et temporairement », ut asseverat *Godet* (p. 153). Melius ipse *Godet* explicat : « Les δόκιμοι sont ceux qui, au milieu de pareilles crises, démontrent leur caractère chrétien par une sagesse et une maturité de jugement qui les marquent aux yeux de tous du sceau de l'approbation divine » (p. 155). Ergo οἱ δόκιμοι illi sunt qui Pauli consilium (X, 32) sequuntur ac se ostendunt ἀπροσκόπους καὶ Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησιν καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ (2). In XI, 19 igitur chris-

(1) Animadverte, quaeso, τὸ αὐτό in XI, 20 et XII, 25 (cf. I, 10).

(2) Liceat miram quidem *Godet* indiligentiam de h. v. X, 32 notare : « L'Apôtre, » inquit (p. 117), « indique les trois cercles de personnes auxquelles les chrétiens de Corinthe devaient penser... : d'abord les *Grecs*, qui sont mis ici pour les païens en général ; puis, les *Juifs*, qui sont placés à dessein entre les païens et l'Eglise ; et enfin les chrétiens, qu'il appelle l'Eglise de Dieu. » Revera autem Judaei isti

tiani et non-christiani non opponuntur, aut vere et false christiani, sed vere christiani jam progressi ac maturi, et vere quoque christiani sed minus progressi et qui parum profecerunt. Probe vero *Godet* legentem ad IX, 27 rejicit. Vidimus autem in hoc l. v. ἀδόκιμος non « salute exclusus, damnatus » significare, sed « carens quibusdam privilegiis, majoribus mercedibus, minus Dei regno utilis, etc. »

Ceteroquin τὰ σχίσματα v. 21 sq. definiuntur. Sed non ad perturbationes illas quae, dum Coena celebraretur, eveniebant, tantum pertinent; pertinent etiam ad scissuras quas concitabant charismata. Ac, me judice, idem de v. 19 valet. Hi duo v. plane universe dicti sunt, et una simul ad finem cap. XI et ad charismata in cap. XII sq. explicata spectant. Nonne satis habere potes, si explicationem vocis διαιρέσεις v. 19 in cap. XII deprehendas? At sunt etiam διαιρέσεις in capit. XII, ut plerumque solent, explicati fine : sunt alii divites, alii contra pauperes. Pauperes ac divites aeque δόκιμοι fieri possunt, si modo se plane fideles praebeant ac perfecte se sanctificent in sua quisque conditione ac vitae statu. Πάντοτε τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, dixit Jesus : quae sententia nobis et a Johanne (XII, 8) et a synopt. (Matth., XXVI, 11; Marc., XIV, 7) tradita est. Distinctio inter divites ac pauperes a Deo quasi instituta est, aeque ac divisio gentis humanae in singularia capita. Bonae sunt illae divisiones; illarumque Paulus rationem indicat. Sed τὰ σχίσματα prava sunt ac condemnata. Apostolus ex parte credit illas necessarias atque egregias διαιρέσεις jam initium σχισμάτων peperisse. Noli igitur cum *Godet* interpretari : « Il

« placés *à dessein* entre les païens et l'Eglise » inter paganos et Ecclesiam omnino non sunt. Pagani contra sunt inter Judaeos et Ecclesiam. *Godet* non solum textui, sed suae ipse translationi contradicit, quippe qui ad hunc modum vertat : « Agissez de manière à n'être en scandale ni aux Juifs, ni aux Grecs, ni à l'Eglise. »

faut qu'il y ait même... » Ceterum in sua translatione *Godet* scribit : « Car il faut même qu'il y ait... » Malim equidem vertere : « Car il faut *aussi* qu'il y ait... », id est : « Etenim oportet quidem sint... »

Usitata cap. XI usus sum interpretatione (quam accipit *Godet*), ut ad finem hujus cap. verbum διαιρέσεις accommodarem. Sed, omnibus cogitatis, non possum his verbis assentiri : « notre chapitre lui-même prouve que dans les agapes chaque famille fournissait elle-même ses aliments » (*Godet*). Quod nostrum cap. admodum non demonstrat.

Finge enim unamquamque familiam secum escam tulisse. Divites ergo multum et ferebant et manducabant, pauperes contra aut perpauca aut nihil cum ferebant, tum comedebant. Paulus autem, hanc agendi rationem vituperans, divitibus praescripsit ut cibum impertirentur pauperibus... At illud quidem prorsus non agit. In XI, 33 dicit tantum : « alius alium exspectet! » Haud ignoro *Godet* scribere : « L'apôtre veut que, tous se mettant à manger ensemble, le souper de chacun puisse devenir celui de ses voisins; c'est par là que le repas devient une véritable agape » (p. 182). Perincommode autem *Godet* solus, non Paulus haec scribit. Mirum sane, ut opinor, esset Paulum ea non fuisse locutum quae, in illa conditione ubi eum poni cupiunt, maximam vim habuissent. Deinde illa pauperum ac divitum distinctio efficit ut Paulo sententiae prorsus admirabiles tribuantur. In v. 34, in confesso est esurientes (πεινᾷ) pauperes esse, non divites qui arbitratu suo edere possunt et quotidie saepius epulantur. Pauperibus ergo, qui nihil aut perpauca possident, Paulus diceret : domi manducate! Stultitia profecto aut parum benignus jocus (cf. Jac., II, 16)! Objectantibus (1) interpretibus praeceptum v. 34 non pauperibus

(1) Illa objectio satis recta videretur. Nam idem praeceptum in

solis destinari, respondebo omnino fieri non posse ut demonstrent illud divitibus solis destinatum fuisse. Satis est autem illud non unice quidem, sed quoque tamen pauperibus destinari, ut aut ironia aut insulsitas permaneat.

Sibi invicem manifesto προλαμβάνει (v. 21) et ἐκδέχεσθε (v. 33) respondent. Una via solum res explanari possunt. Ut in publicis epulis graecorum collegiorum (*Godet*), sic in illis coenis, societatis arca sumptum epularum praestabat. Sed primi (1) propere (2) de cibo propriam sumebant escam (3), ultimi autem nihil (aut fere nihil) reperiebant : id valet τοὺς μὴ ἔχοντας (v. 22). Alii satiabantur, alii autem esuriebant. Ut vitiosam istam consuetudinem emendet, quid agit Paulus? Dicit tantum : num esurite? domi manducate; deinde, cum convenitis ad una coenandum, vos-

v. 22 ad *omnes* Corinthios, commenticios pauperes aeque ac commenticios divites spectat. — Si Paulus omnes compellat, sine ulla exceptione, causa in promptu est : non iidem Corinthii semper primi aut ultimi adventabant, sed idem modo primus modo ultimus accedebat : unde ἕκαστος v. 21 quoque intelligitur.

(1) Non indicant verba ἐν τῷ φαγεῖν « le moment où le repas commence. » Nam tale temporis punctum non erat, id est non erat momentum unicum quo omnes convivae una prandium inciperent, sed et adveniebant et incipiebant vicissim (cf. ἐκδέχεσθε) et inordinate.

(2) Sic *Godet* προλαμβάνει interpretatur : « Vous vous hâtez de prendre les aliments que vous avez apportés, *avant* qu'ils aient pu devenir l'objet d'une distribution générale et sans en faire part à vos voisins. » Ne in textum importes quae non contineat, in locum verb. « que vous avez apportés » pone, quaeso, verba « qui sont sur la table. »

(3) Verbum ἴδιον nullo pacto commemorat « le droit en vertu duquel le propriétaire croit pouvoir agir de la sorte. » (*Godet*) At contra sensus talis est : 1° primi advenientes maximam epularum partem sumebant, ut corpus cibo ipsi (ἴδιον) curarent; 2° convivium illud jam non κυριακὸν δεῖπνον sed ἴδιον δεῖπνον erat. Videtur mihi manifesta ac consulta inter haec verba constare oppositio (cf. τὸ ἑαυτῷ v. 29).

met invicem exspectate et cibum una sumite. Ad omnes praeceptum attinet : etenim qui, cibo domi sumpto, post tempus in convivium advenient, epulas ferme nullas reperire non flocci facient; mature autem adventantes festinare desinent, nam domi sedata fames non jam urgebit.

Qua ratione autem explicabuntur nunc αἱ διαιρέσεις? In mea v. 20-34 interpretatione enim, fuisse Corinthi divites ac pauperes (cf. I, 26) non negavi, sed Paulus hoc nequaquam significat, ac diversitas pecuniariarum conditionum contentionis non causa fuit in agapis partium. Ut supra dixi, nihil esset cur mirareris, etiamsi communis in v. 19 posita sententia modo in cap. XII applicaretur. Verumtamen in fine cap. XI potest jam applicari — profecto non expresse Paulus illam sic applicandam esse indicavit, sed a sententia ejus hoc non discedit. Non inter divites ac pauperes, neque inter esurientes et satiatos distinctio est, sed inter illos qui primi illosque qui ultimi deveniunt. Primis exspectandum est, ultimi qui fuerunt exspectati, gratiam habere debent. Atque cum, ut supra dixi, idem modo inter ultimos, modo inter primos accedat, unusquisque uno aut altero horum officiorum, semper autem alterutro fungi debet. Nullum in vita christiana exiguum est ac contemnendum officium (Luc, XVI, 10). Officio vel specie minimo satisfacere, hoc ad sanctificationem pertinet : ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν. Quamobrem cum, in Corinthiorum conviviis, alius exspectabit alium, convivarum erit extrinsecus manifesta sanctificatio. Sed ex his verbis nonne videtur non *omnes* fieri posse δοκίμους? Ut respondeam, legentem ad illa rejicio quae supra de fine cap. IX dixi. *Omnes* quidem fieri δόκιμοι possunt, sed omnes reipsa non fiunt. — Confirmat hanc interpretationem vinculum perspicuum quod inter δοκιμαζέτω ἑαυτόν (v. 28) et cum οἱ δόκιμοι (v. 19), tum vers. 31-34 constat.

Godet XI, 20 sic vertit : « Lors donc que vous vous réunissez dans le même lieu, ce n'est pas là manger le souper du Seigneur. » Profecto nulla alia T. R. translatio proponi potest, attamen longe abest ut sensum probabilem praebeat. Utcumque enim conveniant homines (atque ipsi christiani), illud συνέρχεσθαι *nunquam* idem valet idemque significat atque τὸ κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. Observa praeterea in cod. varias lectiones reperiri. DFG legunt ουκετι pro ουκ εστιν. Me judice reponendum : οὐκ ἔστιν < εἰς τὸ > κυριακόν..., aut melius etiam, verbo συνέρχεσθε subaudito, οὐκ εἰς τὸ κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν. Cum verbum συνέρχομαι jam ter exaratum fuerit (v. 17, 18, 20), omitti nullo damno poterat. Frequentes sunt hujuscemodi ellipses. Ceterum ellipsis causa mendae esset. Ac restituto semel textu verboque συνέρχεσθε subaudito, constructio vers. 2 constructioni vers. 33 responderet.

Interpretatio, quae plerumque de XI, 27 datur, efficit ut Pauli verba omnino cohaerentia atque ordine careant. In v. 23-26 modo de bono coenae usu agitur. V. 27 qui summarium horum v. videtur (ὥστε), de indigna participatione loquitur de qua non locuti sunt. Regreditur v. 28 ad bonum coenae usum. At v. 29 sq. iterum de indigna participatione disputant. Praeterea significatio quae voci οὕτως (v. 28) tribuitur vix defendi potest : « et sic, panem illum edat... », quasi omnes, post sui recognitionem, necessario ac quasi fataliter, *utique* coenam participare deberent ! Sensum v. οὕτως da quem in plerisque epistulae nostrae locis (cf. VIII, 12 exempli causa) usurpat : « Et edat sic, manducet ad hunc quem dixi modum... » Ita sane, sed quonam modo ? Ni fallor, in v. 27 subdistinctio inter κυρίου et ἀναξίως reponenda, et pro ἀναξίως legere ἂν (= ἐὰν) ἀξίως : « Ita quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini, si (manducaverit vel biberit) digne, adhaerescet, colligabitur corpori et sanguini Domini, cum iisque unus erit. » In epistulis Pauli nus-

quam alibi reperitur ἔνοχος. In Jac., II, 10 et in quibusdam syn. locis, illi est sine dubio significatio *noxius*. Hic autem illi eumdem sensum dare malim atque in Hebr., II, 15 et in prol. Eccles. (1) = ὁ ἐνεχόμενός τινι, qui tenetur aliqua re, ut nequeat effugere, devinctus, adstrictus, obstrictus, c. gen. rei qua aliquis devincitur. Non est cur mireris Paulum isto modo hoc vocabulum usurpavisse. Etenim omnia scimus quae de intima fidelium cum Christo communione, praesertim in Coena (cf. XII, 12 sq.), dixit. Conjunctio ἂν ἀξίως in ἀναξίως e prava v. ἔνοχος interpretatione nata est. Tali emendatione accipit tandem οὕτως haud ambiguam significationem (= ἀξίως) ac verba ἂν ἀξίως verbis μὴ διακρίνων v. 29 respondent.

Si constructionem ἂν ἀξίως (sc. ἐσθίῃ ἢ πίνῃ) operosam existimes, possis, variis lectionibus perspectis, meliorem textum, sensu non mutato, restituere. In v. 26 inter optimos codices, hi ἄχρι οὗ ἔλθῃ, illi (E K L P) ἄχρι οὗ ἂν ἔλθῃ scribunt (varias lectiones ἄχρις et ἄχρι negligimus quae hic nobis minimi sunt momenti). In v. 29, D E F G K L P post πίνων legunt ἀναξίως quod ℵ A B C omittunt. Manifestum est illarum variarum lectionum causam esse particulae ἄν omissionem (2) et adverbii ἀξίως. Illa verba, in margine adscripta, perperam deinde in textum a scribis inserta fuerunt. Pauli

(1) V. Ἔνοχοι in uno prologi loco legitur, in quo vox μέτοχοι melius congruere videretur, quam quidem nonnulli interpretes legere vellent. At illa mutatio non magis in Prol. quam in 1 Cor., XI, 27 necessaria est. Sed plerumque negligunt interpretes genuinam v. ἔνοχοι in Eccles. significationem. Avus translatoris non vult tantum legentes librum legere (*das eifrige Studiren.* — Fritzsche), sed etiam, sicut jussa legis, observare praecepta. Cf. contextum.

(2) ἄν facile post ἄχρι οὗ omitti poterat (αν = ου — Bast). In XV, 25, cod. modo ἄχρι οὗ ἂν θῇ (KL), modo ἄχρι οὗ θῇ (ℵ ABDFGP) legunt.

manum revocabis, scribens : ... ἄχρι οὗ ἂν ἔλθῃ. ὥστε ὃς ἂν ἀξίως ἐσθίῃ — τοῦ κυρίου, ἔνοχος — ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων κρίμα... Animadvertes particulam ἄν (quae ante ἔλθῃ ponitur), cum non longe ab ἀξίως sit, postquam duo haec verba omissa in margine adscripta sunt, propius adv. ἀξίως accedere debuisse : unde librarii putarunt de adverbio ἀναξίως agi.

Cum *Gebhardt* et *Godet* sprevimus τὸ ἀναξίως v. 29. Explicatio quam *Godet* de hoc v. affert, non solum subdura est, ut ipse *Godet* fatetur, sed vix admittenda. Procul dubio negationi μή interdum est significatio εἰ μή, sed nunquam, quod sciam, in periodis illi similibus. Talis est nunc T. R., ut unum sensum solum atque absurdum habere possit : omnes qui manducant ac bibunt sive indigne sive digne (quid enim refert ?) suam damnationem et bibunt et manducant. Et quare ? quia omnes promiscue atque indiscrete corpus Domini dijudicare omittunt.

Cogitaveram primum de transponendo leni manu ἑαυτῷ κρίμα (pro κρίμα ἑαυτῷ) : « Qui sibi manducat et bibit, (id est helluo ventri deditus) (1), manducat et bibit damnationem suam, non dijudicans Domini corpus. » Praestiterit translationem *Godet* accipere, ac modo εἰ inter πίνει et μὴ διακρίνων restituere (πίνει < εἰ > μὴ διακρ.). Neminem fugit quomodo εἰ post πίνει evanuerit.

Verba μὴ διακρίνων τὸ σῶμα mihi parum apte ut a fautoribus, sic ab adversariis lutherianae doctrinae explicari videntur. Quid refert de illo *corpore* loqui, cum non dicatur quidnam sit corpus de quo sermo sit (2)? Quid refert de corpore tantum loqui, at non de sanguine? Praeterea quid

(1) Cf. 21 : τὸ ἴδιον δεῖπνον, 34. — De v. ἑαυτῷ signif., cf. Luc. XII, 21.

(2) Scio equidem nonnullos cod. addere v. τοῦ κυρίου (nonnulli quoque eadem verba post ἀναξίως (v. 27) addunt). Supplementa sunt autem librariorum. Illa igitur sperne ut *Gebhardt* ac *Godet*. Lectio μὴ διακρίνων τὸ σῶμα, sine τοῦ κυρίου, cum sit difficilior, praeferenda est.

sibi vult διακρίνων? Num credere possis Paulum hoc verbum in v. 29 cum alia significatione usurpavisse atque in v. 31? Quod nullo modo fieri potest. Paulus enim accurate notat et diligenter notiones varias voci κρίνω subjectas, cum verbum illud modo simplex est, modo cum diversis praepositionibus conjunctum (διακρίνω, κατακρίνω. — Cf. II, 13-15 : συγκρίνω, ἀνακρίνω). Illud κρίμα quod in v. 34 post omnia voce κρίνω composita verba (v. 31-32) reperitur, jam in v. 29 etiam occurrit. Corrige igitur (quod contextus indicat) μὴ διακρίνων ἑαυτόν. Omnino cohaerens tum fit locus 28-34 : « Judicate vosmet ipsos (28). Qui se ipsos non judicant, damnationem manducant ac bibunt (29). Quod vobis accidit (30), cum si vosmet ipsos judicaretis hoc non accideret (31) etc. » Confer :

κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει (29)	οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα (31), κρινόμενοι (32), ἵνα μὴ εἰς κρίμα συνέρχησθε (34)
μὴ διακρίνων ἑαυτόν (29)	δοκιμαζέτω ἑαυτόν (28), εἰ δὲ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν (31)

Multis variis modis palaeographice corruptio explicari potest. Exempli causa, nota, cum ν et δι, ν et τ et ι et ιτ saepe confundantur (*Bast* et *Vollgraff*), ante διά potuisse ἑαυτόν factum esse σατο, aut το σα, unde τὸ σῶμα; namque librarii σα pro compendio vocis σῶμα habuere, sicut Θς pro Θεός, κς pro κύριος.

XII, 2.

Duorum verborum ἤγεσθε et ἀπαγόμενοι repetitio otiosa est, ac frustra conantur interpretes sensum v. XII, 2-3 tribuere. *Sabatier* (Art. *Glossolalie* in Encycl. Lichtenberg.) observat fuisse in paganorum mysteriis similia glossolaliae facta quaedam. Haec igitur exspectabam in h. v. significatione appellari. Cum cod. quibusdam induco v. ὅτι (quod quo

modo natum fuerit inter οἴδατε et ὅτε perspicuum est), legoque ὅσα ἀνηγεῖσθε : « Scitis, cum gentes essetis, omnia quae narrabatis ac laudabatis, ad muta simulacra prolati ! » Cur ἀνηγεῖσθε corruptum fuerit, tum infrequentia verbi ἀνηγέομαι (1), tum vicinitas v. ἀπαγόμενοι causa fuere. — Melius etiam erit, ut litterae α iterationem vitemus, legere : ὅσα διηγεῖσθε. Littera ν, in unciali scriptura, saepe confunditur cum δι (*Bast*). — Fortasse pro ἄφωνα in quo nullus probabilis sensus inest, legendum ἄφρονα. Confusio φ et φρ, ο et ω frequentissima est (*Bast*).

Conjectura ὅσα ἀνηγεῖσθε vel ὅσα διηγεῖσθε interpretationem optimam praebet illius miri clamoris in quo explicando tam multi clarique sudarunt interpretes : ἀνάθεμα Ἰησοῦς! *Godet* assentiri nequeo qui fingit in v. 3 reprehendi ac condemnari doctrinas illorum proprias qui οἱ τοῦ Χριστοῦ dicuntur. Multa argumenta adversus illam sententiam depugnant, sed illud imprimis : si Paulus ideo τοὺς τοῦ Χριστοῦ improbare voluisset, improbavisset sine dubio in illa epistulae parte in qua de sectis disputat. Fatetur *Godet* ipse cap. XII non ad sectas (2), sed ad charismata spiritualia esse referendum : quod etiam indicat titulus (XII, 1) : περὶ τῶν πνευματικῶν. De charismatibus agitur, ac nullo pacto licentia nobis conceditur contendendi spiritualia illa verba factaque in secta quadam potius quam in alia accidisse. Probabilius est contra sine ullo discrimine in omnibus sectis ea accidisse.

Ecce autem interpretatio quae mihi placet. Quid in paga-

(1) = « erzählungsweise anführen, hererzählen » (*Passow*).

(2) Repugnantia igitur *Godet* dicit, quippe qui XII, 1-3 ad sectam τῶν τοῦ Χριστοῦ referat, ac nihilominus scribat : « les efforts d'un certain nombre d'interprètes pour rattacher, soit d'une manière, soit d'une autre, la discussion suivante (XII, 1 et suiv.) à l'opposition entre les différents partis qui se partageaient l'église de Corinthe, n'ont abouti à aucun résultat vraisemblable » (p. 188).

nis feriis gereretur docet his verbis *Boissier :* « Au lieu de s'enfermer et de s'isoler, les païens se réunissaient en grandes foules, ils s'abandonnaient ensemble à toutes les séductions de la nature ; ils s'étourdissaient de mouvement, ils s'enivraient de bruit ; le son des flûtes et des trompettes, les chants passionnés, l'agitation des danses vertigineuses les mettaient hors d'eux-mêmes ; ils perdaient le sentiment de leur existence propre, ils échappaient aux conditions de la vie, ils s'unissaient au dieu dont ils célébraient la fête ; ils croyaient le voir et le suivre, et il leur semblait assister aux aventures merveilleuses qu'on racontait de lui (Nulle part cet état extatique n'a été mieux dépeint que dans les *Bacchantes* d'Euripide). Ces aventures sont à peu près les mêmes partout... Il s'agit toujours de la mort et de la résurrection d'un dieu... Les fidèles s'associent toujours à la douleur divine ; seulement leur façon d'y compatir change avec les pays. Dans la Syrie et l'Egypte, elle prend un caractère sensuel et voluptueux, elle s'exprime par des chants d'amour, au son langoureux des flûtes ; elle est sauvage dans les rudes contrées de l'Asie du Nord ; là les prêtres se frappent et se mutilent pour manifester leur désespoir. Mais partout, quand le dieu est revenu à la vie, des explosions de joie succèdent aux gémissements et aux larmes, et l'on entend retentir de tout côté les mots mystiques : « Il est retrouvé, nous nous réjouissons (1) ! »

Ad veritatem, ut opinor, accedimus putantes similes res agi, convenientibus christianis in ecclesiam. Nonne haec significatione appellat v. Gal., III, 1 ...οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγγάφη ἐσταυρωμένος ? Christiani quidam, profunda « extasi » oppressi, sibi persuadebant iterum videre ac quasi vivere singulos passionis eventus, nec punctum temporis

(1) *La religion romaine d'Auguste aux Antonins*, I, p. 363-364.

dubitabant blasphemias illas iterum dicere, quibus Jesum Judaei aut reipsa increpabant aut increpare potuissent, sive in judicio, sive in eo loco, in quo Jesus crucifixus fuit. Ex his explicari potest cur Paulus non ἀνάθεμα Χριστός, sed ἀνάθεμα Ἰησοῦς scripserit : nunquam enim ἀνάθεμα Χριστός dicere Judaeus potuisset.

XII, 12-13.

Vix defendi potest interpretatio quam de v. Χριστός in h. v. *Godet* affert. Quod etiam verbis ejus demonstratur (p. 217) : « on pourrait dire de même en désignant une loi de l'humanité naturelle : « Il en est ainsi en Adam » ou en signalant une loi de l'économie juive : « Il en a été ainsi en Abraham. » Ita sane, ea tamen lege, ut in graeco ἐν Ἀδάμ, ἐν Ἀβραάμ, ἐν Χριστῷ legeretur. « Le terme Χριστός désigne *ici* toute l'économie spirituelle dont il (Χριστός) est le principe en opposition à l'économie naturelle à laquelle appartient le corps humain. » Haec parum placent. Oportet imprimis confidere parum argutulis istis significationibus quas impediti commentatores verbis quae non intelligunt temere tribuunt — « HIC » ut dicere solent. Praeterea, quamvis subtilis videatur *Godet*, non introspexit quam reconditae sententiae penitus in Pauli verbis laterent.

V. 12 sq. attente legens senties nunc Christum *esse* corpus, nunc Christum *habere* corpus. Haec sine difficultate intelliges, si mecum existimes Paulum societatem Christi et Ecclesiae non cum capitis et corporis (Ephes., Coloss.), sed cum animae et corporis conjunctione conferre. Cum homo simul anima ac corpus sit, corpus est; non corpus est solum, *est* tamen corpus. Ceteroquin dici potest animam aut hominem *habere* corpus. V. XIII, 3 illas duas asseverationes connectit : ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσομαι. Paulus *habet*

corpus (τὸ σῶμά μου), atque *est* corpus (καυθήσομαι). Similis Christi est habitus. Christus cum Ecclesia tam arcte colligatur quam anima (aut potius spiritus, πνεῦμα) cum corpore, ita ut Christus modo *habeat* (XII, 27), modo *sit* (XII, 12) corpus suum quod est Ecclesia (1). Cum in Eph. et Coloss. (κεφαλή καὶ σῶμα), tum hic assimilantur quasi Christus et Ecclesia. Nulla autem causa est cur Paulus varias similitudines non usurpaverit (2).

Erravit *Godet* cum negavit in fine v. 13 de Coena sermonem esse. — Τὸ καὶ γάρ h. v. 14 non demonstrat, ut putat *Godet*, novam cum v. καὶ πάντες (v. 13) sententiam inchoari. Demonstrat contra novam hanc sententiae amplificationem tantum cum ipsis v. καὶ γάρ v. 14 incipere. Paulum v. 14 scripsisse *Godet* contendit, ut explicaret καὶ πάντες ἐποτίσθημεν v. 13. Ego quidem non video quomodo explicatio illa fiat. Num quia in corpore plura membra sunt, omnes in uno Spiritu potati sunt? Equidem sententiarum rationem non intelligo. Miror sane quod *Godet* contendat epistulam cum illo καί quod 13b incipit transire « à l'idée de la diversité des dons. » Certum est h. versum aeque ac (12 et) 13 in unitate commorari. Atque ad hanc unitatem demonstrandam v. 14 destinaretur! Mira qui-

(1) Cum XII, 12 et 25 et I, 10 confer I, 13 qui illa demum comparatione verum suum accipit sensum. Cum Ecclesia sit cum templo quodam comparata, dici potest duas illas propositiones fere idem valere, quarum symmetriam jam indicavimus μεμέρισται ὁ Χριστός (I, 13) et εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει... (III, 17). Nam μερίζειν τὸν Χριστὸν aut φθείρειν τὸν ναόν, sc. τὴν ἐκκλησίαν unum idemque est.

(2) Comparatio ex anima ac corpore sumpta videtur jam Pauli animum in cap. VI (Cf. v. 13, 15-17) subire. — E v. 7 nostri cap. Paulo destinatum est ad hanc similitudinem decurrere, quippe qui de Θεός et κύριος loqui desinat, ut modo de πνεῦμα loquatur. Adscribit τῷ πνεύματι in v. 10 et 11 quae in v. 6 τῷ Θεῷ adscripsit.

dem unitatem demonstrandi via, diversitatem affirmare! Unum estis, quia plures! Mihi videntur v. 13 et 14 qui incipiunt ambo cum καὶ γάρ, quasi tractu pari sibi respondere. V. 12 asserit simul « *unitatem in diversitate* » et « *diversitatem in unitate*. » V. 13 in « *unitate in diversitate*, » v. 14 autem in « *diversitate in unitate* » commoratur. — « L'expression de boire le Saint-Esprit dans la Cène est absolument étrangère au langage scripturaire » objicit *Godet*. At primum de Spiritu sancto proprie non agitur. Christus πνεῦμα vocari potest. Hoc enim manifeste demonstrant XV, 45 et 2 Cor. III, 17 (ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν). Ac nihil est cur mireris illum sic in loco vocari, in quo Paulus societatem Christi et ecclesiae cum conjunctione *spiritus* et *corporis* confert. In illo v. 13 Paulus pronuntiat spiritus unitatem (ἐν ἑνὶ πνεύμ., ἓν πν.), corporis unitatem (ἓν σῶμα), quamvis plura sint ac diversa membra (v. πάντες bis repetitum). In illa diversitate ac multitudine (πολλά) v. 14 et sq. commorantur, quamvis unitas constet (τὸ σῶμα). — Dein ποτίζω non ad potulenta tantum, sed etiam ad esculenta designanda usurpatur : quod ex III, 2 concludendum. Ad panem igitur aeque ac ad vinum pertinet hoc verbum (1). — Sed « dans ce sens, » pergit *Godet*, « l'aor. ἐποτίσθημεν ne s'expliquerait pas naturellement, puisque l'acte sacramentel s'accomplit toujours de nouveau. » Quae adversus se ipsum *Godet* asserit. Nam a Spiritu communicata charismata non semel accipiuntur; semper iterum spiritus effusio a quo distribuuntur, renovanda est. Prophetae ut prophetet, quotiescumque prophetare vult, nova revelatione opus est (cf. XIV, 30). Nec glossolalo semper

(1) Nota vim quam verbis φυτεύω ac ποτίζω Paulus det in primis cap. III vers. Si forte φυτεύω *baptismati* respondeat (cf. vocem σύμφυτος quam Paulus de baptismate adhibet in Rom., VI, 5 ac quae in N. T. ἅπαξ λεγ. est), forte etiam de *Coena* ποτίζω usurpari potuit.

facultas est lingua loquendi. Quid multa? inter charismata ad summum pauca sunt constantia ac permanentia; pleraque, nisi omnia, semper reficienda sunt (animadverte omnia v. 4-11 praesentia). Aor. quidem non magis adversus meam interpretationem quam adversus illam *Godet* facit. Paulus demonstrare vult se christianosque Corinthios, nunc et in praesenti unum corpus esse, etc... Ex eo argumentum ducit quod cum illi, tum ipse baptizati sunt et Coenam participaverunt. Nihil simplicius est. Nec Paulus necesse habebat de futuris Coenis verbum facere. Pagani qui ad quinque aut sex annos baptizabuntur ac Coenam participabunt, non sunt, nunc, *ipso facto*, cum Corinthiis unum corpus. Procul dubio scribere praesens ποτιζόμεθα Paulus potuisset. Hoc tamen non erat necesse, atque aor. quasi sponte sua ejus cogitationi occurrit post ἐδαπτίσθημεν. — Addamus comparatione nostr. v. cum primis cap. X versibus confirmari interpretationem quae contendit voce ἐποτίσθημεν Coenam significari.

XII, 28.

Offensi sunt jam alii interpretes verbis οὓς μέν. Recte quidem. Nam cum v. πρῶτον de integro enumeratio incipit. Praeterea quid sibi velint verba μέλη ἐκ μέρους post ὑμεῖς — σῶμα Χριστοῦ, non satis subtilis sum ut intelligam. Nulla est dubitatio prudenter censentibus, quin voces καὶ οὓς μέν una litura delendae sint, ut dittographia natae e praegressis ἐκ μέρους. Constat voces ἐκ et καί a librariis saepissime confusas esse (*Bast*). Quod ad vocem μέρους attinet, ex immutatione syllabarum ους et μεν ac confusione litterarum ν et ρ (*Bast*), nata esse videtur. Nunc autem omnia recte et ordine procedunt, remota molesta dittographia, ac subdistinctione reposita inter Χριστοῦ et καὶ μέλη, dum arcte modo καὶ μέλη ἐκ

μέρους cum ἔθετο colliges. Nonne etiam animadvertis persimilem fieri periodum ita restitutam periodo v. 18 :

18	28
ὁ Θεὸς ἔθετο.	ἔθετο ὁ Θεός
τὰ μέλη.	μέλη
ἓν ἕκαστον αὐτῶν.	ἐκ μέρους
ἐν τῷ σώματι.	ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ
καθὼς ἠθέλησεν (cf. v. 11).	πρῶτον ἀποστ. κτλ. (cf. v. 7-10).

XII, 31.

Nullus dubito quin recte *Theodoret* notam interrogationis post μείζονα posuerit, ac prius enuntiatum v. 31 pro interrogatione habuerit. At significatio quidem hujus enuntiati cum ab illa quam proponit ipse, tum ab ista quam indicat *Godet* distare mihi videtur. Nequaquam necesse erat Corinthios adhortari ad charismata appetenda (cf. XIV, 12). Quod si inferius scribit Paulus : ζηλοῦτε τὰ πνευματικά (XIV, 1), contextus ostendit Paulum non exhortari, sed permittere : vos charismata appetere non veto, sed... (1). Profecto dicere possis : necesse erat Corinthios adhortari ad appetenda si non charismata omnino, at saltem meliora. Attamen ultimae v. 31 voces ad intelligendum difficiles semper essent. Ut mihi videtur, in cap. XII de duobus rebus vicissim agitur : ante v. 31 ostendit apostolus diversitatem charismatum. Unusquisque suum habet, atque *omnia* alia habere nequit. In v. 31, de re nova Paulus sermonem infert : « Sed (cum omnia charismata habere non possitis), num quaeritis majora ? » Non eadem permanet ambitio ; nam

(1) Duorum priorum δέ in XIV, 5 idem sensus est : « Volo tamen, volo sane vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. »

plurimos honores passim quaerere desinit (*quantitas*), ut paucos tantum consectetur, sed lectissimos et omnino laude dignos (*qualitas*). « Ergo, ostendam vobis (charismata) majora (sc. maxima), imo (ostendam) viam excellentissimam (sc. caritatem). » Nam emendo : ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα ; τὰ μείζονα, καὶ ἔτι < τήν > καθ' ὑπερβολὴν ὁδόν, ὑμῖν δείκνυμι.

E cod. optimis, sunt qui scribant τὰ χαρ. τὰ μείζονα (ℵ A B C — *Gebhardt*), in aliis contra invenitur τὰ χαρ. τὰ κρείττονα (D E F G K L — *Godet*). Veri est igitur simile te manum Pauli revocare, si scripseris : τὰ χαρ. τὰ μείζονα τὰ κρείττονα vel τὰ κρείττονα τὰ μείζονα. Quod facilius est quam verbum κρείττονα habere pro interpretamento vocis μείζονα (aut vice versa), vel existimare unam illarum vocum alteri suffectam fuisse. — Non est cur mireris τήν inter ἔτι et καθ' evanuisse (η = ι, ν = κ — *Bast*, *Vollgraff*).

XIII, 6.

Si quae in T. R. leguntur tueri voles, non punctum temporis dubitabis cum *Godet* vertere : « Gaudet cum veritate. » Attamen animadvertere cogeris voces οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ et συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ manifesta symmetria inter se oppositas esse. Si, ut intellexit *Godet*, oppositio quaedam inter ἀδικίᾳ constat et ἀληθείᾳ, quo pacto scripsit Paulus : caritas non gaudet *super* (Vulg.) iniquitate, gaudet autem *cum* Veritate ? Quid est cur in duobus membris non semper dederit *super* aut semper *cum ?* Denique haec sententia mira videtur : gaudet cum Veritate ! Quid sibi haec vocabula velint, non omnibus, ne ipsi quidem *Godet*, intelligere et explicare concessum fuit. Quid multa ? remedium reperisse mihi videor non nimis violentum. Suffecerit, si me audis, transponere verba χαίρει et συγχαίρει, ac scribere : οὐ λογίζεται τὸ

κακόν, οὐ συγχαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, χαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ. Primum κῶλον non vertendum : « non suspicatur malum », aut : « non imputat malum », sed : « non molitur malum. » Quam translationem plane permittit usus verbi λογίζομαι in illo sermone graeco, qui hellenisticus dicitur (LXX). Secundum autem κῶλον significat : « non gaudet (super) iniquitate cum illis qui iniquitatem perpetrant. » Et haec duo membra praeclare Rom., I, 32 : οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσιν τοῖς πράσσουσιν respondent. — Igitur primo membro opponitur secundum, secundoque tertium. — Ex his intelligitur quapropter ἐπί ante ἀδικίᾳ ponatur, at non ante ἀληθείᾳ. Omisso illo ἐπί, membrum significavisset : non gaudet *cum* iniquitate, — quod Paulo in animo non erat.

XIII, 13-XIV, 1.

In T. R. hos v. vix expedias. Repugnantia Paulus dicit. Contradictionem consignat *Godet* frustraque removere tentat. Fatetur ex 2 Cor., V, 7 et Rom., VIII, 24 (l. qui in epistulis paulo post 1 Cor. scriptis continentur) : « la foi et l'espérance passent aussi bien que les dons. » Et in l. nostro, illo judice, « la palme appartient à la charité comme à la plus grande des trois. L'Apôtre ne dit pas la plus durable, puisque la durée de toutes trois est absolue. » — Deinde compar. μείζων ante τούτων non intelligitur : num potest caritas se ipsa major esse? num τούτων aliud designare potest quam ταῦτα? Difficile videtur illi v. μείζων vim superlat. tribuere, ut vult *Godet* : in ambiguo est comparativo hunc sensum affingi posse (cf. Gramm. von *Winer*). — Denique XIV, 1 intelligi nequit. Translatio quam *Godet* proponit optima est quam dare possis, sed contra consilium Pauli praecise dicit : « Sectamini caritatem, sed aemulamini spiritalia... » Ergo spiritalia caritatem praestant. Caritatem consectari profecto

licet (moderate quidem), sed spiritalia praesertim appetere jubet! *Godet* recte notat diversitatem quae inter significationem v. διώκετε sensumque v. ζηλοῦτε constat : diversitas autem illa contra ejus interpretationem, scil. contra T. R. litigat.

Repone sodes : νυνὶ δὲ, εἰ μὲν (1) πίστις — ταῦτα, μείζων δὲ πάντων ἡ ἀγάπη, διώκετε τὴν ἀγάπην. Ζηλοῦτε δέ... Alterum mendum in contextu tali (v. 8-12) optime intelligitur : facillima fuit transmutatio verborum εἰ μέν in μένει. Alterum autem cum palaeographia facile explicat (αν = ου, τ = π. — *Bast*, *Vollgraff*), tum traxit proximitas v. ταῦτα. Verbum πάντων frequenter in N. T. cum μείζων conjungitur.

Ita restitutus v. 13 rem conficit in v. 1 inchoatam : confer enim cum illis v. εἰ μέν voces ἐάν in v. 1, 2 et 3 et εἴτε in v. 8. Secundum meam interpretationem fideliter Paulus logicam v. νῦν aut νυνί significationem tuetur, scil. « ut nunc res se habet, quae cum ita sint, hac rerum conditione, cum vero ita res se habeat » (*Grimm*). V. XIII, 13-XIV, 1a conclusionem efficiunt : quae cum ita sint, sectamini caritatem. — Non interpretor : « Si sunt fides, spes, caritas, tria haec », sed : « Si fides, spes, caritas, haec tria, talia sunt qualia dixi (2). » Recordare enim Paulum Corinthios compellare. Corinthii autem totam ejus doctrinam audiverant, et paucis tantum verbis opus erat, ut extemplo apostoli praecepta in memoriam revocarent.

Ex epistulis eodem ferme tempore scriptis, Paulum intelligimus revera, in v. 8-12, de fide et de spe verbum fecisse, quamvis non nominatis. In 2 Cor., V, 7 legimus : διὰ πίστεως περιπατοῦμεν οὐ διὰ εἴδους. Quacumque ratione εἴδους interpreteris, *fides* tamen (his in terris) *visioni* (futurae) opponitur.

(1) Cf., de verborum compositione, Hebr., XI, 15-16 ; Phil., II. 1.

(2) Cf., de v. ταῦτα significatione, VI, 11 ; IX, 3.

In Rom., VIII, 24-25 legi potest : ἐλπὶς δὲ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς · ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει; εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν... (cf. Hebr., XI, 1). Hic quoque opponitur *visioni* non fides quidem, sed *spes*. In 1 Cor., XIII, 12 autem praecise de *visione* (βλέπομεν) sermo fuit. E v. 8-12 Paulus igitur conclusionem non solum de caritate (nominata descriptaque in v. 8), sed etiam de fide ac spe quas non nominatas descripsit tamen, ducere potest. — Finis v. 13 respondet v. XII, 31[b]. Cum super omnia optima sit caritas (μείζων πάντων) — et revera, si charismata duasque alias christianas virtutes superat, quonam superari possit? — digna sane est caritas quae excellentissima via vocetur, ἡ καθ' ὑπερβολὴν ὁδός. — Concludit apostolus : « Sectamini caritatem. » Non prohibet tamen Paulus charismatum desiderium. Addit extemplo : « Aemulamini tamen spiritalia. » Priore muneris sui parte functus, illa scilicet quae his verbis τὴν καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι (XII, 31) indicatur, in eo est nunc ut posteriore fungatur. Ut promisso stet, reliquum est ut ostendat τὰ μείζονα χαρίσματα (XII, 31) : quod agit suadens prophetiam (XIV, 1[b] sq.) ac praescribens inter spiritalia, illa praesertim quaerere quae ad aedificationem Ecclesiae prosint (XIV, 12).

XIV, 2.

Licet, secundum grammaticam legem, πνεύματι « in spiritu » aut « a spiritu » (ope spiritus divini) vertere. Contextus autem postulare videtur, ut voces πνεύματι λαλεῖ reddantur : « spiritui loquitur » (cf. 2[a], 3[a], 6). Quem dativum habere pro commodi, qui dicitur, dativo, licitum sane puto, non tamen omnino necessarium.

XIV, 6.

Constat dupliciter sibi invicem respondere ἀποκαλύψει, γνώσει, προφητείᾳ, διδαχῇ. H. l. autem ut expedias, tibi non fas est *Godet* assentiri, qui duobus primis ἐν alterum sensum dare proponit, alterum vero duobus alteris (gallice modo « sur », modo « par »). Cogitavi de corrigendo : ... λαλήσω ἀποκάλυψιν ἢ γνῶσιν ἐν προφητείᾳ ἢ ἐν διδαχῇ.

Notatione dignum est enim in nonnullis cod. etiamque in Gebhardtina editione ἐν ante διδαχῇ omitti. Patet igitur illud ἐν oblitum atque in margine adpositum fuisse. Quod si unum v. ἢ eamdem habuit fortunam, textus qui nunc legitur nasci potuit. Observa etiam ultimas verborum ἀποκαλ. et γνῶσ. litteras. Nam confusio litterarum ν et ις aut ν et η (*Bast*, *Vollgraff*, *Tournier*) ansam dedit legentibus ἢ aut ἐν, cum neutrum esset legendum (ις = εις = εν. *Bast*, etc..., ac postero tempore ι et ει, quia eodem sono expressa, inter se confundi solent — *Vollgraff*).

XIV, 9-10.

Nemo est qui h. v. cum in T. R., tum in optimis codicibus intelligat. Verba καὶ οὐδὲν ἄφωνον praesertim difficilia sunt. Interpretatio quam sequitur *Godet* nihil satis firmi habet. In verbis nullo pacto ludos facit hic Paulus. Namque in praesenti textu ἄφωνον longe abest a φωνῶν ; oporteret autem , ut *Godet* βίος ἀβίωτος , ἄχαρις χάρις afferre posset, Paulum scripsisse : οὐδεμία φωνὴ ἄφωνος : quod etiam si incideret, symmetria requireretur. Subaudiendum enim esset ἐστι verbaque ita collocanda : οὐδεμία φωνή ἐστιν ἄφωνος. In enuntiatis exemplis contra ἀβίωτος pro *epitheto* non autem pro *praedicato* v. βίος, ἄχαρις pro *epitheto* non au-

tem pro ***praedicato*** v. *χάρις* habentur. Quin etiam, non solum in textu praesenti ἄφωνον a φωνῶν semotum est, sed ad φωνῶν ne refertur quidem, quod tamen omnino necessarium foret, ut valeret *Godet* explanatio : refertur contra ad γένος. — Praeterea quae Paulo datur sententia omnino otiosa est atque inanis. Recte omnia se habent transponendo... πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον καὶ οὐδὲν ἄφωνον ; ἔσεσθε γὰρ εἰς ἀέρα λαλοῦντες τοσαῦτα, εἰ τύχοι, γένη φωνῶν < ὅσα > εἰσὶν ἐν κόσμῳ. Ἐὰν οὖν .. κτλ...

Cum immutatione, tum e proximitate v. εἰσίν factum est ut v. ὅσα evanesceret. Significat restitutus locus : « Ita et vos, per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo intelligetur id quod dicitur, quamvis minime sit ἄφωνον? Nam eritis in aera omnes omnium gentium linguas loquentes! » — Symmetria quaedam constat inter v. καὶ οὐδὲν ἄφωνον, et vers. 7 quem ***Grimm*** (***Meyer*** assentiens) interpretatur : « instrumenta vitae expertia, etiamsi sonum edunt, tamen, nisi distincte sonant, qui dignosces etc... » — Et propositio ἔσεσθε — τοσαῦτα — γένη φωνῶν v. XIII, 1 respondet.

XIV, 12.

Haerent omnes interpretes in verbo πνευμάτων. Quod equidem pro menda habeo. Repone mecum πνευματικῶν, et genuinam te recuperasse Pauli manum tibi sponsor sum. Similes frequentesque confusiones indicat ***Bast*** (Adjectiva in ικος et ος confusa — Adjectiva in τικος et in τος confusa). — In XII, 10 tamen legere poteris : διάκρισις πνευμάτων, sed in h. l. pluralis numerus optime intelligitur, interpretante non ***Godet*** quidem, sed ***Meyer***.

corpus (τὸ σῶμά μου), atque *est* corpus (καυθήσομαι). Similis Christi est habitus. Christus cum Ecclesia tam arcte colligatur quam anima (aut potius spiritus, πνεῦμα) cum corpore, ita ut Christus modo *habeat* (XII, 27), modo *sit* (XII, 12) corpus suum quod est Ecclesia (1). Cum in Eph. et Coloss. (κεφαλή καὶ σῶμα), tum hic assimilantur quasi Christus et Ecclesia. Nullà autem causa est cur Paulus varias similitudines non usurpaverit (2).

Erravit *Godet* cum negavit in fine v. 13 de Coena sermonem esse. — Τὸ καὶ γάρ h. v. 14 non demonstrat, ut putat *Godet*, novam cum v. καὶ πάντες (v. 13) sententiam inchoari. Demonstrat contra novam hanc sententiae amplificationem tantum cum ipsis v. καὶ γάρ v. 14 incipere. Paulum v. 14 scripsisse *Godet* contendit, ut explicaret καὶ πάντες ἐποτίσθημεν v. 13. Ego quidem non video quomodo explicatio illa fiat. Num quia in corpore plura membra sunt, omnes in uno Spiritu potati sunt? Equidem sententiarum rationem non intelligo. Miror sane quod *Godet* contendat epistulam cum illo καί quod 13b incipit transire « à l'idée de la diversité des dons. » Certum est h. versum aeque ac (12 et) 13 in unitate commorari. Atque ad hanc unitatem demonstrandam v. 14 destinaretur! Mira qui-

(1) Cum XII, 12 et 25 et I, 10 confer I, 13 qui illa demum comparatione verum suum accipit sensum. Cum Ecclesia sit cum templo quodam comparata, dici potest duas illas propositiones fere idem valere, quarum symmetriam jam indicavimus μεμέρισται ὁ Χριστός (I, 13) et εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει... (III, 17). Nam μερίζειν τὸν Χριστὸν aut φθείρειν τὸν ναόν, sc. τὴν ἐκκλησίαν unum idemque est.

(2) Comparatio ex anima ac corpore sumpta videtur jam Pauli animum in cap. VI (Cf. v. 13, 15-17) subire. — E v. 7 nostri cap. Paulo destinatum est ad hanc similitudinem decurrere, quippe qui de Θεός et κύριος loqui desinat, ut modo de πνεῦμα loquatur. Adscribit τῷ πνεύματι in v. 10 et 11 quae in v. 6 τῷ Θεῷ adscripsit.

dem unitatem demonstrandi via, diversitatem affirmare! Unum estis, quia plures! Mihi videntur v. 13 et 14 qui incipiunt ambo cum καὶ γάρ, quasi tractu pari sibi respondere. V. 12 asserit simul « ***unitatem in diversitate*** » et « ***diversitatem in unitate.*** » V. 13 in « ***unitate in diversitate***, » v. 14 autem in « ***diversitate in unitate*** » commoratur. — « L'expression de boire le Saint-Esprit dans la Cène est absolument étrangère au langage scripturaire » objicit *Godet.* At primum de Spiritu sancto proprie non agitur. Christus πνεῦμα vocari potest. Hoc enim manifeste demonstrant XV, 45 et 2 Cor. III, 17 (ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν). Ac nihil est cur mireris illum sic in loco vocari, in quo Paulus societatem Christi et ecclesiae cum conjunctione ***spiritus*** et *corporis* confert. In illo v. 13 Paulus pronuntiat spiritus unitatem (ἐν ἑνὶ πνεύμ., ἓν πν.), corporis unitatem (ἓν σῶμα), quamvis plura sint ac diversa membra (v. πάντες bis repetitum). In illa diversitate ac multitudine (πολλά) v. 14 et sq. commorantur, quamvis unitas constet (τὸ σῶμα). — Dein ποτίζω non ad potulenta tantum, sed etiam ad esculenta designanda usurpatur : quod ex III, 2 concludendum. Ad panem igitur aeque ac ad vinum pertinet hoc verbum (1). — Sed « dans ce sens, » pergit *Godet,* « l'aor. ἐποτίσθημεν ne s'expliquerait pas naturellement, puisque l'acte sacramentel s'accomplit toujours de nouveau. » Quae adversus se ipsum *Godet* asserit. Nam a Spiritu communicata charismata non semel accipiuntur; semper iterum spiritus effusio a quo distribuuntur, renovanda est. Prophetae ut prophetet, quotiescumque prophetare vult, nova revelatione opus est (cf. XIV, 30). Nec glossolalo semper

(1) Nota vim quam verbis φυτεύω ac ποτίζω Paulus det in primis cap. III vers. Si forte φυτεύω *baptismati* respondeat (cf. vocem σύμφυτος quam Paulus de baptismate adhibet in Rom., VI, 5 ac quae in N. T. ἅπαξ λεγ. est), forte etiam de *Coena* ποτίζω usurpari potuit.

facultas est lingua loquendi. Quid multa? inter charismata ad summum pauca sunt constantia ac permanentia; pleraque, nisi omnia, semper reficienda sunt (animadverte omnia v. 4-11 praesentia). Aor. quidem non magis adversus meam interpretationem quam adversus illam *Godet* facit. Paulus demonstrare vult se christianosque Corinthios, nunc et in praesenti unum corpus esse, etc... Ex eo argumentum ducit quod cum illi, tum ipse baptizati sunt et Coenam participaverunt. Nihil simplicius est. Nec Paulus necesse habebat de futuris Coenis verbum facere. Pagani qui ad quinque aut sex annos baptizabuntur ac Coenam participabunt, non sunt, nunc, *ipso facto*, cum Corinthiis unum corpus. Procul dubio scribere praesens ποτιζόμεθα Paulus potuisset. Hoc tamen non erat necesse, atque aor. quasi sponte sua ejus cogitationi occurrit post ἐβαπτίσθημεν. — Addamus comparatione nostr. v. cum primis cap. X versibus confirmari interpretationem quae contendit voce ἐποτίσθημεν Coenam significari.

XII, 28.

Offensi sunt jam alii interpretes verbis οὓς μέν. Recte quidem. Nam cum v. πρῶτον de integro enumeratio incipit. Praeterea quid sibi velint verba μέλη ἐκ μέρους post ὑμεῖς — σῶμα Χριστοῦ, non satis subtilis sum ut intelligam. Nulla est dubitatio prudenter censentibus, quin voces καὶ οὓς μέν una litura delendae sint, ut dittographia natae e praegressis ἐκ μέρους. Constat voces ἐκ et καί a librariis saepissime confusas esse (*Bast*). Quod ad vocem μέρους attinet, ex immutatione syllabarum ους et μεν ac confusione litterarum ν et ρ (*Bast*), nata esse videtur. Nunc autem omnia recte et ordine procedunt, remota molesta dittographia, ac subdistinctione reposita inter Χριστοῦ et καὶ μέλη, dum arcte modo καὶ μέλη ἐκ

μέρους cum ἔθετο colliges. Nonne etiam animadvertis persimilem fieri periodum ita restitutam periodo v. 18 :

18	28
ὁ Θεὸς ἔθετο.	ἔθετο ὁ Θεός
τὰ μέλη.	μέλη
ἓν ἕκαστον αὐτῶν.	ἐκ μέρους
ἐν τῷ σώματι.	ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ
καθὼς ἠθέλησεν (cf. v. 11).	πρῶτον ἀποστ. κτλ. (cf. v. 7-10).

XII, 31.

Nullus dubito quin recte *Theodoret* notam interrogationis post μείζονα posuerit, ac prius enuntiatum v. 31 pro interrogatione habuerit. At significatio quidem hujus enuntiati cum ab illa quam proponit ipse, tum ab ista quam indicat *Godet* distare mihi videtur. Nequaquam necesse erat Corinthios adhortari ad charismata appetenda (cf. XIV, 12). Quod si inferius scribit Paulus : ζηλοῦτε τὰ πνευματικά (XIV, 1), contextus ostendit Paulum non exhortari, sed permittere : vos charismata appetere non veto, sed... (1). Profecto dicere possis : necesse erat Corinthios adhortari ad appetenda si non charismata omnino, at saltem meliora. Attamen ultimae v. 31 voces ad intelligendum difficiles semper essent. Ut mihi videtur, in cap. XII de duobus rebus vicissim agitur : ante v. 31 ostendit apostolus diversitatem charismatum. Unusquisque suum habet, atque *omnia* alia habere nequit. In v. 31, de re nova Paulus sermonem infert : « Sed (cum omnia charismata habere non possitis), num quaeritis majora ? » Non eadem permanet ambitio ; nam

(1) Duorum priorum δέ in XIV, 5 idem sensus est : « Volo tamen, volo sane vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. »

plurimos honores passim quaerere desinit (*quantitas*), ut paucos tantum consectetur, sed lectissimos et omnino laude dignos (*qualitas*). « Ergo, ostendam vobis (charismata) majora (sc. maxima), imo (ostendam) viam excellentissimam (sc. caritatem). » Nam emendo : ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα ; τὰ μείζονα, καὶ ἔτι < τὴν > καθ' ὑπερβολὴν ὁδόν, ὑμῖν δείκνυμι.

E cod. optimis, sunt qui scribant τὰ χαρ. τὰ μείζονα (ℵ A B C — *Gebhardt*), in aliis contra invenitur τὰ χαρ. τὰ κρείττονα (D E F G K L — *Godet*). Veri est igitur simile te manum Pauli revocare, si scripseris : τὰ χαρ. τὰ μείζονα τὰ κρείττονα vel τὰ κρείττονα τὰ μείζονα. Quod facilius est quam verbum κρείττονα habere pro interpretamento vocis μείζονα (aut vice versa), vel existimare unam illarum vocum alteri suffectam fuisse. — Non est cur mireris τήν inter ἔτι et καθ' evanuisse (η = ι, ν = κ — *Bast*, *Vollgraff*).

XIII, 6.

Si quae in T. R. leguntur tueri voles, non punctum temporis dubitabis cum *Godet* vertere : « Gaudet cum veritate. » Attamen animadvertere cogeris voces οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ et συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ manifesta symmetria inter se oppositas esse. Si, ut intellexit *Godet*, oppositio quaedam inter ἀδικίᾳ constat et ἀληθείᾳ, quo pacto scripsit Paulus : caritas non gaudet *super* (Vulg.) iniquitate, gaudet autem *cum* Veritate ? Quid est cur in duobus membris non semper dederit *super* aut semper *cum* ? Denique haec sententia mira videtur : gaudet cum Veritate ! Quid sibi haec vocabula velint, non omnibus, ne ipsi quidem *Godet*, intelligere et explicare concessum fuit. Quid multa ? remedium reperisse mihi videor non nimis violentum. Suffecerit, si me audis, transponere verba χαίρει et συγχαίρει, ac scribere : οὐ λογίζεται τὸ

κακόν, οὐ συγχαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, χαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ. Primum κῶλον non vertendum : « non suspicatur malum », aut : « non imputat malum », sed : « non molitur malum. » Quam translationem plane permittit usus verbi λογίζομαι in illo sermone graeco, qui hellenisticus dicitur (LXX). Secundum autem κῶλον significat : « non gaudet (super) iniquitate cum illis qui iniquitatem perpetrant. » Et haec duo membra praeclare Rom., I, 32 : οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσιν τοῖς πράσσουσιν respondent. — Igitur primo membro opponitur secundum, secundoque tertium. — Ex his intelligitur quapropter ἐπί ante ἀδικίᾳ ponatur, at non ante ἀληθείᾳ. Omisso illo ἐπί, membrum significavisset : non gaudet *cum* iniquitate, — quod Paulo in animo non erat.

XIII, 13-XIV, 1.

In T. R. hos v. vix expedias. Repugnantia Paulus dicit. Contradictionem consignat *Godet* frustraque removere tentat. Fatetur ex 2 Cor., V, 7 et Rom., VIII, 24 (l. qui in epistulis paulo post 1 Cor. scriptis continentur) : « la foi et l'espérance passent aussi bien que les dons. » Et in l. nostro, illo judice, « la palme appartient à la charité comme à la plus grande des trois. L'Apôtre ne dit pas la plus durable, puisque la durée de toutes trois est absolue. » — Deinde compar. μείζων ante τούτων non intelligitur : num potest caritas se ipsa major esse ? num τούτων aliud designare potest quam ταῦτα ? Difficile videtur illi v. μείζων vim superlat. tribuere, ut vult *Godet* : in ambiguo est comparativo hunc sensum affingi posse (cf. Gramm. von *Winer*). — Denique XIV, 1 intelligi nequit. Translatio quam *Godet* proponit optima est quam dare possis, sed contra consilium Pauli praecise dicit : « Sectamini caritatem, sed aemulamini spiritalia... » Ergo spiritalia caritatem praestant. Caritatem consectari profecto

licet (moderate quidem), sed spiritalia praesertim appetere jubet! *Godet* recte notat diversitatem quae inter significationem v. διώκετε sensumque v. ζηλοῦτε constat : diversitas autem illa contra ejus interpretationem, scil. contra T. R. litigat.

Repone sodes : νυνὶ δὲ, εἰ μὲν (1) πίστις — ταῦτα, μείζων δὲ πάντων ἡ ἀγάπη, διώκετε τὴν ἀγάπην. Ζηλοῦτε δέ... Alterum mendum in contextu tali (v. 8-12) optime intelligitur : facillima fuit transmutatio verborum εἰ μέν in μένει. Alterum autem cum palaeographia facile explicat (αν = ου, τ = π. — *Bast*, *Vollgraff*), tum traxit proximitas v. ταῦτα. Verbum πάντων frequenter in N. T. cum μείζων conjungitur.

Ita restitutus v. 13 rem conficit in v. 1 inchoatam : confer enim cum illis v. εἰ μέν voces ἐάν in v. 1, 2 et 3 et εἴτε in v. 8. Secundum meam interpretationem fideliter Paulus logicam v. νῦν aut νυνί significationem tuetur, scil. « ut nunc res se habet, quae cum ita sint, hac rerum conditione, cum vero ita res se habeat » (*Grimm*). V. XIII, 13-XIV, 1a conclusionem efficiunt : quae cum ita sint, sectamini caritatem. — Non interpretor : « Si sunt fides, spes, caritas, tria haec », sed : « Si fides, spes, caritas, haec tria, talia sunt qualia dixi (2). » Recordare enim Paulum Corinthios compellare. Corinthii autem totam ejus doctrinam audiverant, et paucis tantum verbis opus erat, ut extemplo apostoli praecepta in memoriam revocarent.

Ex epistulis eodem ferme tempore scriptis, Paulum intelligimus revera, in v. 8-12, de fide et de spe verbum fecisse, quamvis non nominatis. In 2 Cor., V, 7 legimus : διὰ πίστεως περιπατοῦμεν οὐ διὰ εἴδους. Quacumque ratione εἴδους interpreteris, *fides* tamen (his in terris) *visioni* (futurae) opponitur.

(1) Cf., de verborum compositione, Hebr., XI, 15-16 ; Phil., II. 1.

(2) Cf., de v. ταῦτα significatione, VI, 11 ; IX, 3.

In Rom., VIII, 24-25 legi potest : ἐλπὶς δὲ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς · ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει ; εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν, ἐλπίζομεν... (cf. Hebr., XI, 1). Hic quoque opponitur *visioni* non fides quidem, sed *spes*. In 1 Cor., XIII, 12 autem praecise de *visione* (βλέπομεν) sermo fuit. E v. 8-12 Paulus igitur conclusionem non solum de caritate (nominata descriptaque in v. 8), sed etiam de fide ac spe quas non nominatas descripsit tamen, ducere potest. — Finis v. 13 respondet v. XII, 31ᵇ. Cum super omnia optima sit caritas (μείζων πάντων) — et revera, si charismata duasque alias christianas virtutes superat, quonam superari possit? — digna sane est caritas quae excellentissima via vocetur, ἡ καθ' ὑπερβολὴν ὁδός. — Concludit apostolus : « Sectamini caritatem. » Non prohibet tamen Paulus charismatum desiderium. Addit extemplo : « Aemulamini tamen spiritalia. » Priore muneris sui parte functus, illa scilicet quae his verbis τὴν καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι (XII, 31) indicatur, in eo est nunc ut posteriore fungatur. Ut promisso stet, reliquum est ut ostendat τὰ μείζονα χαρίσματα (XII, 31) : quod agit suadens prophetiam (XIV, 1ᵇ sq.) ac praescribens inter spiritalia, illa praesertim quaerere quae ad aedificationem Ecclesiae prosint (XIV, 12).

XIV, 2.

Licet, secundum grammaticam legem, πνεύματι « in spiritu » aut « a spiritu » (ope spiritus divini) vertere. Contextus autem postulare videtur, ut voces πνεύματι λαλεῖ reddantur : « spiritui loquitur » (cf. 2ᵃ, 3ᵃ, 6). Quem dativum habere pro commodi, qui dicitur, dativo, licitum sane puto, non tamen omnino necessarium.

XIV, 6.

Constat dupliciter sibi invicem respondere ἀποκαλύψει, γνώσει, προφητείᾳ, διδαχῇ. H. l. autem ut expedias, tibi non fas est *Godet* assentiri, qui duobus primis ἐν alterum sensum dare proponit, alterum vero duobus alteris (gallice modo « sur », modo « par »). Cogitavi de corrigendo : ... λαλήσω ἀποκάλυψιν ἢ γνῶσιν ἐν προφητείᾳ ἢ ἐν διδαχῇ.

Notatione dignum est enim in nonnullis cod. etiamque in Gebhardtina editione ἐν ante διδαχῇ omitti. Patet igitur illud ἐν oblitum atque in margine adpositum fuisse. Quod si unum v. ἢ eamdem habuit fortunam, textus qui nunc legitur nasci potuit. Observa etiam ultimas verborum ἀποκαλ. et γνῶσ. litteras. Nam confusio litterarum ν et ις aut ν et η (*Bast*, *Vollgraff*, *Tournier*) ansam dedit legentibus ἢ aut ἐν, cum neutrum esset legendum (ις = εις = εν. *Bast*, etc..., ac postero tempore ι et ει, quia eodem sono expressa, inter se confundi solent — *Vollgraff*).

XIV, 9-10.

Nemo est qui h. v. cum in T. R., tum in optimis codicibus intelligat. Verba καὶ οὐδὲν ἄφωνον praesertim difficilia sunt. Interpretatio quam sequitur *Godet* nihil satis firmi habet. In verbis nullo pacto ludos facit hic Paulus. Namque in praesenti textu ἄφωνον longe abest a φωνῶν ; oporteret autem , ut *Godet* βίος ἀβίωτος, ἄχαρις χάρις afferre posset, Paulum scripsisse : οὐδεμία φωνὴ ἄφωνος : quod etiam si incideret, symmetria requireretur. Subaudiendum enim esset ἐστι verbaque ita collocanda : οὐδεμία φωνή ἐστιν ἄφωνος. In enuntiatis exemplis contra ἀβίωτος pro *epitheto* non autem pro *praedicato* v. βίος, ἄχαρις pro *epitheto* non au-

tem pro ***praedicato*** v. χάρις habentur. Quin etiam, non solum in textu praesenti ἄφωνον a φωνῶν semotum est, sed ad φωνῶν ne refertur quidem, quod tamen omnino necessarium foret, ut valeret *Godet* explanatio : refertur contra ad γένος. — Praeterea quae Paulo datur sententia omnino otiosa est atque inanis. Recte omnia se habent transponendo... πῶς γνωσθήσεται τὸ λαλούμενον καὶ οὐδὲν ἄφωνον ; ἔσεσθε γὰρ εἰς ἀέρα λαλοῦντες τοσαῦτα, εἰ τύχοι, γένη φωνῶν < ὅσα > εἰσὶν ἐν κόσμῳ. Ἐὰν οὖν .. κτλ...

Cum immutatione, tum e proximitate v. εἰσίν factum est ut v. ὅσα evanesceret. Significat restitutus locus : « Ita et vos, per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo intelligetur id quod dicitur, quamvis minime sit ἄφωνον? Nam eritis in aera omnes omnium gentium linguas loquentes! » — Symmetria quaedam constat inter v. καὶ οὐδὲν ἄφωνον, et vers. 7 quem *Grimm* (*Meyer* assentiens) interpretatur : « instrumenta vitae expertia, etiamsi sonum edunt, tamen, nisi distincte sonant, qui dignosces etc... » — Et propositio ἔσεσθε — τοσαῦτα — γένη φωνῶν v. XIII, 1 respondet.

XIV, 12.

Haerent omnes interpretes in verbo πνευμάτων. Quod equidem pro menda habeo. Repone mecum πνευματικῶν, et genuinam te recuperasse Pauli manum tibi sponsor sum. Similes frequentesque confusiones indicat ***Bast*** (Adjectiva in ικος et ος confusa — Adjectiva in τικος et in τος confusa). — In XII, 10 tamen legere poteris : διάκρισις πνευμάτων, sed in h. l. pluralis numerus optime intelligitur, interpretante non *Godet* quidem, sed ***Meyer***.

XIV, 18.

In v. 13-19 *Godet* non est sibi consentaneus. Recte contendit verbo προσεύχομαι eumdem sensum in v. 13 dandum esse atque in v. 14, attamen εὐχαριστῶ in v. 18 alterum sensum, in v. 17 (cf. εὐχαριστίᾳ in v. 16) alterum dat. Haud poenitebit, ni fallor, v. λαλῶ cum cod. A induxisse e dittographia vocis ἀλλά, quae sequitur, natum. Etenim ἀλλά scribi potuit λαλα : illius generis mendae satis frequentes sunt (1). Adde crebro confusas fuisse litteras λ et α (*Bast*, *Vollgraff*). Posthac contextus primum, deinde proximitas vocis γλώσσῃ, denique confusio litterarum α et ω (*Bast*) mutationem in λαλῶ satis superque explanant. Itaque manifestum est Paulum scripsisse : εὐχαριστῶ — γλώσσῃ · ἀλλὰ ἐν ἐκκλησίᾳ...

XIV, 26-28.

Melius quam *Godet* explicabis v. 26, vertens : « Quid ergo est, fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet? linguam habet? etc... (fierine possunt talia (2)? Si res ita se habet, bene est! Sed) omnia ad aedificationem fiant! » Paulus ironia utitur, ut perturbationem vituperet quae in conciliis accidebant. Me judice, ista ironia jam v. πάντες praegressis (v. 23 et 24) fere indicatur. Non deest in v. πάντα vers 26^b, et praesertim in v. 31 dissimulatio quam apostolus adhibet manifesta est (3). — Animadverte v. ἔχει iterationem, non secus ac si quisque adve-

(1) Confer, παραδείγματος ἕνεκα, in Sap., II, 7, ἀέρος pro ἔαρος, et ibid., XVIII, 22, ὄχλον pro χόλον.

(2) Id valent τί οὖν ἐστίν, ἀδελφοί;

(3) *Godet* contendit verbum πάντες illos solum designare, « qui ont

niret dicens : ψαλμὸν ἔχω, διδαχὴν ἔχω etc... etc... atque omnes simul una loqui inciperent. Recte *Godet* similem esse hunc v. consignat vers. I, 12; sed, ut illa similitudo perfecta sit, accipe, quaeso, meam interpretationem. — Constat etiam affinitas inter I, 5-7 et nostrum v. Sed in I, 5-7 nullam Paulus ironiam adhibet.

Ambigue et obscure *Godet* v. 27-28 vertit, quamvis tamen partem quamdam verae interpretationis introspexerit : sed eam immerito sprevit. Non vult vers. 28 convertere : « Mais *s'il n'est pas* interprète », quia « on ne saurait auquel des deux ou trois glossolales devraient s'appliquer ces mots. » Contra se ipsum locutus est *Godet*, qui σιγάτω vertit sicut v. ᾖ verti non vult. Quis e duobus aut tribus glossolalis pro subjecto v. σιγάτω habendus est, quod *Godet* vertit : « qu'il se taise » ? — Haec Paulus in animo habebat : « Si quis lingua loquitur (sint duo aut ad summum tres), et omnibus ex partibus et unus interpretetur. Si autem non est interpres, taceat etc... » In illo v. τίς ante λαλεῖ (v. 27) posito reperitur omnium verborum subj. Subdistinctio (,) inter καὶ ἀνὰ μέρος et καὶ εἷς expungenda est, duoque illa membra quae secum duplice v. καί colligantur ad verbum διερμηνευέτω referenda. V. ἀνὰ μέρος idem est sensus atque verbis κατὰ μέρος in Hebr., IX, 5. Pauli mandata optime intelliguntur. Ex mea v. 26 interpretatione cernitur superfluum non fuisse glossolalis praecipere, ne plures simul loquerentur : similia prophetis praescribuntur (cf. εἷς v. 27 cum πρῶτος v. 30). Glossolalus quoque *omnia* quae dicit interpretari debet, per partes (ἀνὰ μέρος) ; nam, ut Paulus ipse ostendit (1-19), inutile omnino esset illum dicere quae non interpretaretur.

le don de prophétie. » Sed sensum orationis apostoli mutat, cujus consilium sententiamque perperam intellexit.

Glossolalus igitur quisque ipse suus interpres esse sibi debebat : quod cum v. 5, 13, 15 apte convenit, ut *Godet* ipse fatetur. Quod ad illos attinet qui charismate τῆς ἑρμηνείας γλωσσῶν fruebantur, sed charismate τῶν γενῶν γλωσσῶν (XII, 10) carebant, nonne glossolalus, lingua locutus, interdum illis interpretandi curam relinquere posset? Hoc Paulus non declaravit. Videtur contra illam agendi rationem vetare (εἷς διερμηνευέτω) (1). Verisimiliter eadem inter charismata τῶν γενῶν γλωσσῶν et τῆς ἑρμηνείας constabat convenientia ac inter charismata τῆς προφητείας et τῆς διακρίσεως πνευμάτων. Dicere Paulus potuisset : ὁ λαλῶν γλώσσῃ εἷς διερμηνευέτω, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν. Cavere oportebat ne in prophetias quasi semina mali irreperent. Cavere oportebat ne glossolalus « extatica » dicta perperam interpretaretur.

XIV, 33-34.

Godet procul dubio errat, *Holsten* accedens qui eumdem sensum verbo ἐκκλησίαις in v. 33 et in v. 34 dare non vult, et in hac voce modo societatem tantum videt, modo contra τῶν ἁγίων conventus, cum rebus divinis intersunt. Quod omnino fieri non potest, in duobus ejusdem periodi membris inter se per ὡς arcte conjunctis. Requiro : « taceant mulieres in conventibus ***vestris***, sicut et in omnibus conventibus sanctorum tacent. » D E F G K L legunt αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, dum ℵ A B ὑμῶν omittunt. Ex quo potest probabiliter confici v. ὑμῶν locum deseruisse verum, deinde per marginem iter fecisse, ac denique inter aliena a librariis fuisse insinuatum, qui id non omitterent. Accipi non potest lectio illa quae in D E F G K L reperitur. Cur enim apostolus « ***ves-***

(1) Cum in multis a *Grimm* indicatis locis, tum hic, vocabulo εἷς idem est sensus atque voci μόνος, *solus*.

trae uxores » diceret? De *omnibus* mulieribus sermo est, neque illis qui judaeis paganisve nupserunt, neque viduis, ne virginibus quidem et innuptis aetate provectis exceptis. Porro ὑμῶν et ὑμᾶς (v. 36) omnes legentes, cum homines, tum mulieres, significant. Deinde in v. 35 non scripsit Paulus ἐν οἴκῳ ὑμᾶς ἐπερωτ., at sane τοὺς ἰδίους ἄνδρας. Postulat denique symmetria, mecum ita periodum constituas : αἱ γυναῖκες ἐν ταῖς ὑμῶν ἐκκλησίαις aut ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὑμῶν. *Godet* optime vidit vocem ὑμῶν verbis τῶν ἁγίων oppositam esse : miror igitur eum probavisse hanc interpretationem : taceant *vestrae* uxores.

XIV, 37.

In ℵ A B legitur κυρίου ἐστὶν ἐντολή. Quam lectionem cum *Godet* accipere non audet, aegre lectionem Gebhardtinam in D F G servatam κυρίου ἐστίν accipit. Nisi omnia me fallunt, lectio κυρίου ἐστίν praeferenda est. Et profecto dilucide apparet unde natum sit illud ἐντολή.

Scriba enim aut lector quidam verborum cap. X, 11 memor (εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν καἰώνων ατήντηκεν), cum in cap. XIV, 36 hunc locum legeret : ἢ εἰς ὑμᾶς μόνους κατήντησεν, voces τὰ τέλη in margine scripsit, ut sententiam Pauli illis verbis explanaret. *Tournier* autem monuit (p. 53) litteram τ a librariis incautis pro nota haberi posse, quam ad verba omissa apponere solebant, ut in textum insererentur iterum. Litteris igitur (τ)ατελη post κυρίου ἐστίν insertis, palaeographia facile ostendit quomodo ita mutatae fuerint, ut v. ἐντολή nasceretur. Ceterum fieri etiam potest ut v. ατολη in ἐντολή mutatum fuerit antequam includeretur orationi, illaque perpetrata mutatio ipsa causa fuerit cur marginalis vox in h. l. interponeretur.

XIV, 38.

Jam intellexit *Godet* lectionem ἀγνοεῖται quam *Gebhardt* accepit, minime esse accipiendam. Illi tamen non accedo qui praefert lectionem ἀγνοείτω (B E K L). Saepe, sed praesertim in h. l. lectio difficilior faciliori praeferenda. Lectio ἀγνοείτω igitur rejicienda est (1). Ceterum intelligere nequeo quo pacto haec lectio tantopere *Godet* placeat. Vox autem ἀγνοεῖται, quamvis ipsa non accipienda sit, ostendit genuinam lectionem. Emenda audacter : ἀγνοεῖτε. « Ignoretis » cogitabat Paulus, non profecto « ignoretis si quis ignoret sententias a me expressas », sed « ignoretis illum qui mea dicta ignorare volet. » Id est « si quis non diligenter epistulam attendit meam, illum non respicite » (2). Litterae αι et ε similiter, illo tempore, erant expressae. Quamobrem in cod. frequens commutatio occurrit τοῦ αι in ε aut τοῦ ε in αι. Ἀγνοεῖτε igitur factum est ἀγνοεῖται, ac, confusione αι et ω (*Bast*), lectio ἀγνοεῖται, quam librarii expedire non potuerunt, in ἀγνοείτω mutata est : animadverte quoque voce ὥ(στε) quasi tactam esse vocem ἀγνοεῖτε.

(1) Praeterea, ut *Godet* ipse fatetur, illi qui hanc lectionem accipiunt, causam lectionis ἀγνοεῖται invenire nequeunt. Si reipsa foret ἀγνοείτω lectio genuina, intelligerem sane vicinitatem verbi ὥστε, ut opinatur *Meyer*, effecisse ut αγνοειτω in αγνοειτ mutatum fuerit. Scribae quidem aliquid in eo loco deesse existimare potuerunt; sed quomodo illis in mentem venire potuit, illam lacunam cum litteris αι explere, scil. verbum (ἀγνοεῖται) scribere quod omnino sensu vacat? — Cum hunc nostrum t. cum Διδαχή (cap. X) confero : εἴ τις οὐκ ἔστι (scil. ἅγιος), μετανοείτω, fere placet in I Cor., XIV, 38 quoque v. μετανοείτω reponere. At non perspicuum est quo modo menda nata fuisset, deinde desideraretur oppositio illa quae inter duas v. ἀγνοεῖν figuras constat.

(2) Cf. V, 9-11 ; Tit., III, 10-11 ; 2 Joh., 10-11.

XV, 1.

Godet assentior qui ostendit verbo γνωρίζειν significationem « in memoriam revocare » dari non posse. Fas est autem conjicere Paulum aliter periodum composuisse suam, si, ut asseverant *Holsten* et *Godet*, voluisset « humilier ses lecteurs. » Vitiosa est h. v. interpunctio. Notam interrogationis (;) cum post σώζεσθε, tum post κατέχετε repone. — « Num mihi suscipiendum est (1) vos (tanquam ignaros qui de eo nunquam audiverint) evangelium docere quod praedicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini? Quibus verbis (qua ratione) illud vobis Evangelium praedicavi, (dicite) si (tamen aut quando) servatis? nisi fortasse frustra credidistis (2). » Cum *Godet* opinor haec ultima verba significare : « nisi fides vestra irrita manet. » Sed illis verbis tantum abest ut addam : « quia ejus materia nihil solidi firmique habet, » ut contra addam : « quia fidem eam relinquitis, quia doctrinas sequimini cum eadem repugnantes. » — Ordo ac ratio qua sententiae inter se excipiunt in aprico est. Priori interrogationi : « Num vobis istud Evangelium praedicabo..., » responsio haec est manifesto : « Non praedicabo. Accepistis enim... etc... » Pergit Paulus : « Quando id servatis (εἰ κατέχετε), quibus verbis, qua ratione id vobis praedicavi? Scire debetis, nam id vobis praedicavi et credidistis (nisi forte desiistis credere). Tradidi enim vobis... Itaque sive ego, sive illi, sic praedicamus, et sic credidistis. » *Godet* merito notavit voce οὕτω expresse voces τίνι λόγῳ significari. Sic v. 1-11 nostri cap. quasi in corpus rediguntur, et argumentationi quae sequitur (εἰ δὲ X. κηρύσσεται (v. 12)...), erunt quasi caput.

(1) Cf. δείκνυμι in XII, 31.
(2) Cf. 2 Cor., XIII, 5; Gal., III, 4.

XV, 23-24.

In τέλος latet non finis *resurrectionis* (*Theodoret*, *Bengel*, *Meyer*, *Osiander*), sed finis *resurgentium*, non tertius quasi actus fabulae, scil. resurrectionis, sed tertia atque ultima pars illorum qui reviviscent. *Godet* videtur vox τέλος non adeo definita ac constituta esse, ut designare possit tertium resurrectionis actum. Ipse tamen, quod illi sententiae minime consentaneum est (p. 362), loquitur de « *troisième rang* (verba ipse nota illa designat) des ressuscités, » quamvis illum ordinem commemoratum invenire recuset in verbis solis in quibus inveniri possit (1). Suffecerit autem, si me audis, observare :

1. Vox τέλος manifeste voci ἀπαρχή respondet. — Locus ille in memoriam illa verba Sap., VII, 18 : ἀρχὴ καὶ τέλος καὶ μεσότης χρόνων reducit. Sine dubio in loco v. μεσότης ponuntur hic v. οἱ τοῦ Χριστοῦ. — Si per ἀπαρχή designatur pars resurgentium (Christus resurrectus, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων), non potest τέλος aliud designare quam resurgentium partem, scil. partem quae superest post 1° Christum ἀπαρχήν, 2° τοὺς τοῦ Χριστοῦ.

2. Cum vocibus ἀπαρχή et οἱ τοῦ Χριστοῦ atque ἕκαστος, tum verbis τὸ τέλος tanquam subjectis utitur v. ζωοποιηθήσονται.

3. Nam εἶτα arcte οἱ τοῦ Χριστοῦ et τὸ τέλος colligat. Cf. enim XII, 28 ubi *Godet* ipse posteriori v. ἔπειτα quod legit *Gebhardt*,

(1) Quonam etiam jure loquitur de tribus resurrectionis momentis (resurrectione Christi, resurrectione fidelium, resurrectione universa) (p. 373) ? V. 26, cum solus respicitur, talem sensum habere nequit. Non jam ulla mors erit : quod, mea sententia, non significat illos qui tum vivere jam desierunt, novam de integro vitam recuperare posse, sed mortales illo tempore vita fruentes illam in aeternum servaturos.

praefert lectionem εἶτα. — In XV, 5 cunctationem eamdem cod. inter lectiones ἔπειτα et εἶτα deprehendes. *Gebhardt* iterum praefert ἔπειτα, iterum autem *Godet* εἶτα. Quae lectiones hanc *Godet* cogitationem injiciunt, quibus nostra v. 23-24 interpretatio confirmatur : « Le εἶτα du Vatic. et des byz. *sépare moins* les deux faits que ne le fait le ἔπειτα du Sinaïtic. et de l'Alex. » (p. 333). Igitur verba οἱ τοῦ Χριστοῦ et τὸ τέλος minus voce εἶτα disjuncta sunt, quam verba οἱ τοῦ Χριστοῦ et ἀπαρχὴ Χριστός voce ἔπειτα.

4. Accedit illud, quod v. τὸ τέλος vocibus οἱ τοῦ Χριστοῦ respondent, sed verbis ὅταν παραδιδοῖ — καὶ δύναμιν voces ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ quadrant.

Quibus expositis, οἱ πάντες (vel ὁ ἕκαστος) in tres partes (resurrectorum aut ressuscitandorum) diffluunt. Sunt enim 1° Christus, 2° christiani, 3° ii qui in Adam mortui sunt ac moriuntur, scil. ceteri homines.

XV, 27.

Manifesto corrupta haec sunt. Nullo enim pacto explicari possunt v. ὅταν εἴπῃ. Subjunct. futuri cum ἄν usurpatus vim habet. Noli igitur interpretari : « in posterum scriptura loquetur, » quod nullo modo fieri potest : nam scriptura jamdudum locuta est. Quamobrem, merito *Godet* interpretationes *Meyer* et *Hofmann* sprevit, sed spernenda quoque ipsius *Godet* interpretatio. Equidem, observans Paulum in v. 26 praesens (καταργεῖται) et in v. 27 aoristum (ὑπέταξεν) adhibuisse, illum suspicor dedisse : ὅτε δὲ εἶπεν (scil. ἡ γραφή) ... ὑποτέτακται. In v. 28 tantum (ὅταν δὲ ὑποταγῇ) ad futurum v. 25 (ἄχρι οὗ ἂν θῇ) redit. Observa vocem ὅταν non semel in v. 24-28 legi, et intelliges quo modo menda nata sit. Ceterum, auctore *Bast*, litterae αν et ε, η et ει saepe confusae sunt.

XV, 29-31.

Supra triginta sunt explicationes « baptismatis pro mortuis. » Fieri non potest (hoc *Godet* praeclare ostendit), ut Paulus posteriori hujus baptismatis usui assensus sit. Fieri quoque non potest ut in intimo corde eum vituperaverit, ac nihilominus de eo argumentum duxerit, quasi eum probaret, ea demum mente ut repugnantia dicere legentes cogeret.

Egregius interpres multas duras explicationes refellit; sed ejus interpretatio, quamvis acutissima sit, ansam reprehensionis tamen habet. Cum tot summi commentatores sese invicem confutare tantum potuerint, servato T. R., liquet T. R. intelligi nullo modo posse et corruptum esse. Suspicor Paulum dedisse :

ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ < Χριστοῦ > τοῦ νεκροῦ, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ αὐτοῦ; τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν; < τί καὶ > καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω; νὴ τὴν ἡμετέραν — τῷ κυρίῳ ἡμῶν, εἰ κατὰ ἄνθρωπον — ὄφελος;

Mihi videtur propositio εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται (v. 29) ad initium v. 29 referenda, quandoquidem adeo h. v. 29 a vers. 12-19 distet. — Si omnino (ὅλως) mortui non resurgunt, Chistus non resurrexit, mortuus prorsus est manetque. Quid christiano proderit pro (1) mortuo, super (aut de) mortuo baptizatum fuisse? Nonne absurdo absurdius est? Utilitas nulla ab eo percipi potest. — Hoc pace *Godet* dicam, constat arctum vinculum inter baptismi sacramentum ac corporum baptizatorum resurrectionem : persuasum habet Paulus resurrectionem — aut saltem gloriosam ad beatitudinem resurrectionem — illis tantum dari qui in Christo

(1) Vertere quoque licet : in nomine mortui. Qui sensus voci ὑπέρ tribui potest. — Ceterum, cf. textum sic restitutum cum h. loco τῆς Διδαχῆς : λατρεία γάρ ἐστι Θεῶν νεκρῶν (cap. VI).

sunt. Omnes autem qui in Christo sunt, aut jam baptizati aut mox baptizandi sunt. Asseverat *Godet* Rom., VI nullum momentum habere, quippe quod ad spiritualem solum resurrectionem referatur. Sed etiamsi plane verum hoc esset, corporalis resurrectionis conditio est spiritualis resurrectio, et utique spiritualis fidelium resurrectionis conditio causaque est corporalis J. C. resurrectio. Tolle Christi resurrectionem corporalem, totaque cap. Rom., VI doctrina cadit. Quid inter corporalem Christi resurrectionem et baptisma vinculi constet, liquido indicat Col., II, 12 : συνταφέντες αὐτῷ ἐν τῷ βαπτίσματι, ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ τοῦ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. — *Godet* mihi objiciet quod aliis exprobrat : « le terme : *ceux qui sont baptisés* devrait, dans ce cas, être appliqué à tous les chrétiens ; or le οἱ devant βαπτιζόμενοι indique une classe de chrétiens toute spéciale. Comme le dit bien Calvin : Non de omnibus loquitur cum dixit : quid facient qui baptizantur ? » — Respondeo Calvini enuntiatum verissimum esse. Quinam autem sunt hi *omnes* de quibus Paulus verbum non facit? non sunt quidem οἱ χριστιανοί, ut contextus ostendit. Ut intelligas qui sint illi *omnes* quorum partem modo οἱ βαπτιζομ. effingunt, satis sit quaerere qua ratione interpretanda v. πᾶσαν ἀρχὴν καὶ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν (v. 24), πάντας τοὺς ἐχθρούς (v. 25), πάντα aut τὰ πάντα (sexies in 27-28), ἐν πᾶσιν (v. 28). In illis (πάντες) qui in Adam moriuntur (v. 22), scil. in *omnibus* hominibus, Paulus tria genera secernit : 1° Christum ; 2° christianos ; 3° ceteros homines. Οἱ βαπτιζόμενοι secundum genus (οἱ τοῦ Χριστοῦ) sunt.

Facilius adducar ut existimem corruptum fuisse textum quia pro mortuis baptisma illo tempore jam usu receptum erat, quam ut cum *Godet* conjiciam : « c'est notre passage même mal compris qui aura donné lieu à ces pratiques absurdes. » Nonne credis, etiamsi Paulus 1 Cor. non scripsisset,

absurdas nihilominus superstitiones illas naturas fuisse? Saepe tamen « dogmaticorum » doctrinae scribarum mendis tantum fultae sunt. Perfacile in illo loco mendum videbis. Jam animadverti frequentem esse, cum in omnibus, tum in apocryphorum V. T. codicibus, syllabarum ου in ων atque ων in ου confusionem. Vox Χριστοῦ in unciali scriptura χυ exarabatur. Itaque inter ὑπέρ et τοῦ facile evanuit (ρ = υ, = τ, τ = χ — *Vollgraff*). Multis quoque aliis modis detractio Χριστοῦ explanari potest. Errori profuit illud, quod locutiones βαπτίζ. ὑπέρ nusquam in Pauli epistulis occurrunt. Ex quo tamen non conficitur, ut emendatio proposita spernenda sit. Nam illa verba grammatice scripta sunt et emendate, atque sensum menti haud ambiguum praebent. Contextus vero ostendit quare Paulus illam rationem dicendi praetulit locutionibus ab eo plerumque usurpatis : βαπτ. εἰς Χριστόν aut εἰς τὸ ὄνομα Χριστ. etc...

Num *Godet* meae cum de v. 29, tum de οἱ βαπτ. interpretationi talia exprobrabit : « Si Paul voulait caractériser les chrétiens en général, pourquoi parler du baptême plutôt que de la foi? C'est la foi, et non le signe de la foi, qui ouvre l'entrée du royaume de Christ. » Sed Paulus de fide non loquitur quia jam bis (v. 14, 17) de illa locutus est. Prorsus inutile fuisset apostolum quasi novas in v. 29 aggredi sententias, si tantum jam dicta in v. 12-19 iterum dicere debuisset. Nota in his v. 12-19 imprimis de sententiis, de affectione mentis habituque (πίστις etc...) ac de verbis (κήρυγμα) agi. Cogitationi ac sermoni, v. 29 et sq., si quid novi addere vellent, nihil aliud quam *facta* addere poterant. Revera illud agunt : si mortui omnino non resurgunt nec Christus resurrexit, quorsum 1° baptisma, 2° vita in laboribus, vexationibusque ac doloribus consumpta (1)?

(1) Fortasse tibi placebit hic quoque juxta baptisma Coenam sanc-

Omnia illa *facta* pro mortuo (super mortuo) peragere qui plane periit, nec resurrexit nec resurget, otiosum est atque stolidum.

Vix intelligitur v. 31 in T. R. Quid Paulo opus est attestari in periculo se versari? Non de hoc agitur. Porro Corinthii respondere potuissent : dixisti jam (cf. IV, 9-13). Restitutus a me locus illud commodi praebet, quod argumentatio Pauli cohaerens ac lucida fit, dein quod venustiores evadunt v. 29-31 qui citis cumulatisque interrogationibus componuntur, denique quod arcte cum ὄφελος colligatur καύχησιν (Cf. in cap. IX quod de vinculo καύχημα et μισθός disputavi). Contraria symmetria quae propositioni νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν — ὄφελος inest, ante oculos ponitur

τὴν ἡμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω. . . . . τί μοι τὸ ὄφελος
ἐν Χρ. Ἰησ. τῷ κυρίῳ ἡμῶν (1). . . . . . . εἰ κατὰ ἄνθρωπον

Legendum cum A ἡμετέραν. Etenim ὑμετέραν καύχησιν nihil aliud significare posset quam « causa quae vobis est ipsis gloriari. » Vertere : « καύχησιν quam mihi vestra fides confert, » idem est atque omnibus N. T. locis contradicere in quibus καύχησις aut καύχημα reperiuntur. Nunquam autem, neque in T. R., neque in nostro textu, de glorificatione Corinthiorum ipsorum agi potest : membrum νὴ τὴν — κυρίῳ ἡμῶν fieret absurdum. Non est cur mireris Paulum primum sing. ἀποθνήσκω, dein plur. ἡμετέραν, tum sing. ἔχω adhibuisse. Quod velocitas et incitatio illius orationis satis explicant. Accedit quod Paulus plur. usurpat, quasi cupiens laudem quam sibi tribuit ipse imminuere : καύχησιν scil. Saepe Paulus illo modo verecundus se praebet (cf. v. 10).

tam videre. Quod eveniet si legas τί καὶ ποτίζονται ὑπὲρ αὐτοῦ; de verbo ποτίζω, cf. quae supra de XII, 13 diximus. Errori proximitas profuit verbi βαπτιζόμενοι.

(1) Cf. 2 Cor., XI, 17 : κατὰ κύριον.

— Non vertendum ἡμετέραν : « le sujet de glorification que nous pouvons avoir *en vous* » (sic *Godet* quam respuit lectionem interpretatur). Verba *in vobis* in textu non reperiuntur, ac si praecise designandum esset quid valerent v. τὴν ἡμετέραν καύχησιν, cogitarem potius de hoc in v. 32 indicato : ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ. Quam interpretationem etiam v. 30-31 postularent, qui significant apostolum Ephesi, aut tunc aut paulo ante compositam epistulam, in vitae discrimine versatum fuisse. — Supervacaneum est detractionem v. τί καί inter (ὥρα)ν et κ(αθ') explicare (τι = ν — και = κ — *Vollgraff*, *Bast*, etc.).

XV, 33-34.

Quo vinculo hi v. cum praegressis conjungantur, animadvertisse non videtur *Godet*. Paulus, quid, resurrectione mortuorum omnino ac praecipue Christi non accepta, efficiatur, ostendit. « Si Christus non resurrexit ac si mortui non resurgunt, quid periclitamur? quid defatigamus? Manducemus et bibamus, voluptatibus nos tradamus ac laetos dies agamus, utilitatem nostram quaeramus commodisque inserviamus! Peccemus etiam, si placet! quid refert? » Ultima autem haec ratio, quae logice e praegressis concluderetur, adeo immanis est, ut illam Paulus non colligat, sed potius exclamet : ἐκνήψατε δικαίως καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. Existimare Paulus non potest sua sponte consulto Corinthios eo progressos, ut talia jam dicant faciantque! Quin etiam, ne existimare quidem potest illos unquam eo progressuros! Sunt τινές modo, qui ἀγνωσίαν Θεοῦ ἔχουσιν. — Fortasse in his verbis quasi comminatio latet (cf. Phil. III, 18, 19).

Ceterum mira mihi videntur verba ἐκνήψατε δικαίως. Haec in optimis codicibus tradita sanabuntur, unam si lacunam adesse statues eamque sic fere explebis : ἐκνήψατε <καὶ

ζήσατε> δικαίως. Verba καὶ ζήσατε a male sedulo correctore pro dittographia deleta fuerunt. Nam καί et ἐκ sape in cod. confunduntur (*Bast*). Litterae autem ν et ψ, in unciali scriptura, si sint parum pronae, ac linea recta litterae ψ tantum desit, pro ζ et σ facile haberi possunt.

XV, 42.

Haereo in verbis οὕτως καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν de quibus nihil fere ab interpretibus doctissimis observatum invenies. Si Paulus reipsa dicere voluisset : talis est resurrectio mortuorum, nonne potius scripsisset αὕτη (cf. IX, 3)? Quin etiam, talis est resurrectio qualis... quid? Fateor sane haec ut nunc sunt aliquo modo explicari posse ; sed veri mihi fere videtur similius reponere : οὕτως καὶ ἡ ἀνάστασις τῆς νεκρώσεως (scil. διαφέρει). Noli enim oblivisci vocem νέκρωσις modo bis in N. T. reperiri, et tantum in Pauli epistulis, imo in epistulis ab apostolo eo ipso ferme tempore cum epistula de qua hic agitur scriptis (2 Cor., IV, 10; Rom., IV, 19).

Peperit mendum infrequentia vocis. Cum littera ε facile posset pro littera ρ haberi (*Bast*), legit librarius ἡ ἀνάστασις τῆς νεκρως σπείρεται : unde factum est ut legeretur ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν (ω = ων — *Bast*). Explicandum in h. l. verbum νέκρωσις, ut in 2 Cor., IV, 10 (das Gestorbensein).

XV, 45.

T. R. h. v. non parvum interpretibus negotium facessit. Inveniri non potest aliquid in V. T. quod v. 45^b respondeat. Attamen constat, invito *Godet*, τὸ γέγραπται ad duo membra referri. Manifesto corruptus est textus. Emendatio autem incertior. Licet enim asseverare e confusione ὡς et καί quae in cod. crebro occurrit (*Bast, Tournier*) mendam natam

esse. Sed quid pro corruptis est reponendum? Utrum οὕτως ὡς (1) γέγραπται · ἐγένετο κτλ.? An οὕτως καθὼς γέγραπται...? An οὕτως καί, ὡς γέγραπται...?

Utcumque res erit, restitutus simili modo locus pro textu a *Gebhardt* accepto εἰ ἔστιν — ἔστιν καὶ πνευμ. (v. 44) contra textum *Godet* ἔστιν — καί ἐστιν σῶμα πνευμ. (v. 44) litigat. Accedit illud : *Godet* fatetur ipse suum praecipuum argumentum adversus lectionem Gebhardtinam per se minus habere firmitudinis : « On pourrait nier sans doute, » fatetur, « que le εἰ des Alexandrins doive être pris dans le sens d'une preuve. » Quod revera facimus. Ac nullo modo censemus Paulum, si res quasdam inter se tantum comparare voluerit, necesse habuisse καθώς aut ὥσπερ usurpare, praesertim cum ὡς, prout conjecimus, in v. seq. (45) reperiatur.

Equidem quoque existimo Ἀδάμ, quod post πρῶτος ἄνθρωπος legitur, insiticium esse : illudque verbum expunxerim ut interpretamentum verb. πρῶτος ἄνθρωπος. In v. 47, A K L P juxta ὁ δεύτερος ἄνθρωπος scholium marginale ὁ κύριος insinuaverunt, quod alii scribae et cum iis *Gebhardt* et *Godet* jure spreverunt.

XV, 51.

Probabilis videtur *Diestelmann* (*Jahrbücher für deutsche Theologie*, 1865) conjectura, miro quodam casu a *Godet* neglecta nec tam contempta quam ignorata. Paulus scripserat : πάντες, οἱ οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα κτλ.

XVI, 9-10.

Si quis vulgatam lectionem diligenter perpendere velit,

(1) Cf. 2 Cor., IX, 5.

intelliget, sat scio, quod equidem firmiter mihi persuasum habeo, Paulum ita scribere non potuisse. Verbo ἐνεργής autem sublato, periodus v. 9 aptissime decurrit. Neque tamen vocem importunam delere velim. Quis enim hanc vocem addiderit? Qua ratione? Hoc equidem non intelligo. Itaque transponere malim in v. 10 vocem ἐνεργής, sive ἵνα ἀφόβως ἐνεργὴς γένηται, sive ἵνα ἄφοβος καὶ ἐνεργὴς γένηται scribam : quod postulant ultima v. 10 verba (τὸ γὰρ ἔργον... ἐργάζεται).

Sed quamvis illud verbum transpositum sit, aliquid tamen a consuetudine sermonis Graeci semper abhorret; quamobrem, sine ulla dubitatione, scribamus : ἐὰν δὲ ἔλθῃ Τιμόθεος πρὸς ὑμᾶς, βλέπετε ἵνα ἄφοβος καὶ ἐνεργὴς γένηται · τὸ γὰρ ἔργον κτλ. Quo pacto propiora sunt ἐνεργής et ἔργον, ἐργάζεται; et ad ἔλθῃ (cf. v. 11-12) verba πρὸς ὑμᾶς referre licet, quod commodius esse puto quam illa ad vocem γένηται referre.

Quod autem annotat *Godet*, de ἐὰν ἔλθῃ verbum faciens, hoc non plane omnibus certum videbitur : « Comme son temps était limité (v. 11), Paul n'était pas sûr qu'il pût arriver dans cette ville. De là l'expression : *S'il vient chez vous*, qui n'est point équivalente à : Quand (ὅταν) il viendra chez vous. » Confer contra quae scripsit in lexico suo *Grimm*, et multis confirmavit exemplis : « perverso usu ex imitatione hebr. אִם, quae particula est etiam temporis, explicandum ἐάν c. conj. aor. dic. de rebus, quas loquens aut scribens certissime futuras putat, ubi dicendum erat ὅταν, cum, quando. »

XVI, 24.

H. l. isto modo explanat *Godet* : « Paul avait adressé aux Corinthiens des reproches et des avertissements si sévères qu'il éprouve le besoin de les assurer une dernière fois de *son amour*, et de son amour pour eux *tous*. » Si nostrum v.

cum XVI, 14 et XII, 31-XIV, 1 conferes, nonne mecum veri duces similius Paulum, cum haec scriberet, de infirmiore Corinthiorum caritate cogitare? Nonne tibi videbuntur haec ultima verba reprehensionem exhortationemque simul ac finalem salutationem esse? Nonne, ut vidit ipse *Godet*, apostolus in v. 22 memoriam v. XII, 1-3 refricat? — Pari ratione adductus, *Hofmann* libenter assentiar, a quo ad voces μαρὰν ἀθά interpretandas verba Ps. XVI, 2 (tu Dominus es) non absimilia adhibeantur. Quo enim pacto fieret, ut, quemadmodum 22ᵃ cum XII, 3 (ἀνάθεμα Ἰησοῦς) conferre posses, ita quoque μαρὰν ἀθά cum κύριος Ἰησοῦς (XII, 3) comparare liceret.

INDEX EXPLICATORUM LOCORUM

CORRIGENDA

Pag.	7	lin.	1	pro	τοὺς πάντας τοὺς	lege	πάντας τοὺς
—	11	—	1	dele	*inceptum cujus*		
—	—	—	—	pro	syllab. *con-*	lege	*consilia nondum*
—	29	—	4	—	*mox refellemus*	—	*jam refellimus*
—	30	—	17	—	*coelat*	—	*caelat*
—	34	—	15	—	III, 26	—	III, 2[b]
—	42	—	5	—	*e*	—	*et*
—	46	—	24	—	ἔχειν.	—	ἔχειν ;
—	62	—	20	post	*de viduis*	adde	*in v.* 39-40
—	63	—	21	—	*viduis*	—	*mulieribus*
—	77	—	7	pro	*cum*	lege	*cur*
—	89	—	29	ante	*viduis*	adde	*mulieribus*
—	94	—	5	pro	οὐκ	lege	οὐκ
—	95	—	2-3	—	*negativam*	—	*negativum*
—	96	—	13	—	*metant*	—	*metunt*
—	—	—	16	ante	*ac*	dele	*et*
—	—	—	27	pro	*usurpatur*	lege	*usurpetur*
—	102	—	3	post	ἵνα	dele	μή
—	106	—	7	pro	*vales*	lege	*tales*
—	—	—	31	—	*quos*	—	*quas*
—	120	—	21	—	ν et τ et ι	—	υ et τ et ι
—	126	—	28	—	μεν	—	μερ
—	—	—	29	ante	*nata*	repone	*figura* οὖς μέν
—	137	—	19	pro	καἰώνων ατήντηκεν	lege	αἰώνων κατήντηκεν
—	138	—	27	—	Διδακή	—	Διδαχή

Feb 26, 1914